BIGA DISSERTATIONUM JURIDICARUM, QUARUM ALTERA EST DE JURE...

Georg Heinrich Lehmann, Caspar Rudolph Radeck, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE JURE APOSTATARUM
CAPUT PRIMUM
Principia quædam generalia de puniendis Heterodoxis & Apoſtatis exhibens.

§. I.

SUmmum in Civitate Jus circa Sacra ex triplici potiſſimum principio ad Magiſtratum Politicum deſcendit. Primo Religionis cum Societate Civili connexio, qua illa & hujus vinculum firmat, & communem Civium felicitatem auſpicata cooperatione efficit, evidenti eſt argumento, utriusque curam ad eandem perſonam pertinere, & qui habenas Reipub. moderatur, eum merito proſpicere, ut cultus Divinus ſit illibatus, nec diverſæ de rebus cæleſtibus opiniones animos Civium ſcindant. Deinde è rationis noſtræ lumine connato diſcimus, Magiſtratum in Civitate eſſe legis tam Divinæ, quam Huma-

næ cuſtodem, idque propter eam ſubordinationem, qua Majeſtas Divina eſſentialiter Humana ſuperior eſt, unde hæc illius legem tollere nequit, ſed potius illo principio, quod Deo parere jubet, prægnanti obligatione vincitur, ut non tantum ipſa pareat, ſed quantum in ſe eſt, ab omnibus ſuo arbitrio ſubjectis legem Dei faciat convenienter obſervari. Hinc pronum eſt colligere, Magiſtratum imprimis curare debere, ut ne cultus Numinis à Civium ullo negligatur, qualem ſcilicet partim eadem principia connata, partim & diſtinctius quidem verbum revelatum præſcribunt conf. *Hornius in Archit l. 2. c. 5. n. 3.* Denique voluntas Divina in ſacris literis evidentiſſime officia Principum ſive eorum, qui populo ſuprema poteſtate præſunt ad Eccleſiam & Religionem protendit. Nam, ut alia taceam, quorſum deſcriberet Spiritus Dei tam diligenter actiones Regum Judæorum Eccleſiæ antiqui fœderis curam habentium, niſi pios Principes vellet ad ea exempla vitam ſuam componere? Quod ut ab aliis pridem prolixe declaratum eſt, ita nunc pluribus proponere non attinet.

§. 2. Si una eademque per vaſtum orbem Deum colendi ratio vigeret, natura Juris ſacri promte intelligeretur; ſed quoniam vera quidem Religio unica eſt, falſas autem humanæ mentis lumine ſcripturæ deſtitutæ, & ſcintillulas connatas opprimentis error quamplurimas excogitavit, difficultates non paucæ hic exoriuntur & triplex principium Juris ſacri varietate ſat conſpicua effectus ſuos prodit. Primum è memoratis principiis dimittit ad Imperantem ſummum tam Gentilem, quam Chriſtianum jus circa cultum

tum

tum Numinis, qualiscunque in territorio vigeat. Sunt enim Timor Dei & pietas abſtracta omni qualitate Felicitatis publicæ ſuſtentacula. Atque ideo quilibet Princeps,| cujus poteſtati beatitudinis civilis cura intime & inſeparabiliter conjuncta eſt, Religionis, quam populus ſibi ſubjectus obſervaverit, quamque ipſe habuerit pro vera, conſervandæ ſtudio tenetur. Sic olim Ethnici Reges jus diſponendi de cultu Deorum ſibi aſſeruiſſe inveniuntur, & proſtant apud Scriptores paſſim variæ ſanctiones de ſacrorum adminiſtratione ab ipſis latæ. Interim tamen quanto arctior eſt veræ, quam falſæ religionis cum civili regimine connexio, & quanto ſocietatis humanæ vinculum per eam fidem, cujus prima quædam principia lex naturalis, nobiliorem vero partem ſacræ literæ tradunt, firmius continetur, (quod quidem per capita demonſtrari haud difficulter poſſe teſtantur inter alia Apologiæ Scriptorum veteris Eccleſiæ pro credentibus,) tanto clarius ex iſto fonte ad Chriſtianos jus circa ſacra quibus ipſi funguntur, quam ad gentiles decurrit. Alterum & tertium caput, unde facultatem res Religionis certa ratione tractandi ad Principes pervenire dictum eſt, manifeſte ſolum verum Dei cultum reſpiciunt. Conceſſio enim & mandatum Divinum utrobique occurrunt, illic quidem paulo obſcuriora, hic magis expreſſa & evidentia. Jam vero omnem falſam de Deo perſuaſionem vanamque ſuperſtitionem ſupremum Numen neceſſitate quadam naturæ abominatur, ac proinde jubere nullo modo poteſt, ut pro ea conſervanda cura Principis vigilet. Eſt interim rectæ religienis conſerva-

tio ex ejusdem Dei intentione non ſolum Chriſtianis, verum ipſis etiam Gentilibus cordi: ſed quoniam hi iſtius inſtituta ex verbo revelato potiſſimum addiſcenda ignorant, Ius Sacrorum obtinere ſolo actu primo dicuntur, Chriſtiani etiam actu ſecundo, qua de re videri poteſt *Brunnem. Jus ſacrum l. 1. c. 2. n. 26.*

§. 3. Juris ſacri ad Magiſtratum ita è triplici principio venientis palmariam partem, ceu quivis intelligit, facit poteſtas coercendi heterodoxos, ſive illos qui cultum Numinis receptum vel omnino tollunt vel inquinare ſatagunt. Sed hujus poteſtatis cum in objecto ſpecialius deſignando tum in definiendis limitibus triplex principium non parum variat, ut mox videbimus. Illud generatim, conſpirantibus dictis principiis, certum eſt, qui privatim in religione peccant, & nec verbis nec factis errorem animi oſtendunt, eos curæ ſolius mentium Regis Dei relinqui oportere, quoniam nemo hominum rationis abdita ſcrutari valet, nec mortalis ullus imponere alteri ſimpliciter neceſſitatem poteſt vel credendi quod nolit, vel quod velit non credendi, uti loquitur *Lactantius Inſtit. l. 5. c. 14.* Quando tamen quis pravum de Deo ſenſum, quem pridem intra mentem fovit, ore factorumve commiſſione vel omiſſione prodere incipit, non iniquum eſt, ipſum ab humano Magiſtratu ſic coerceri, ut pœnæ fiat initium non ab eo demum tempore, quo exterior profeſſio errorem detexit, ſed omnino ab illo, quo primum falſá dogmata animum polluerunt, modo pœna ejus ſit naturæ, ut retro operari poſſit, nec uno ſolo actu perficiatur. Hoc omne paulo plenius declarandum eſt.

§. 4. He-

§. 4. Heterodoxus, qui deteſtandas opiniones corde alit, nulli autem mortalium unquam manifeſtavit, occultus dici poteſt, ſoletque ea ſignificatio non raro occurrere apud Scriptores Canoniſtas. Sed frequentius occultus ille dicitur, cujus crimen utut unum alterumve non penitus lateat, plene tamen perſpectum aut ita cognitum non eſt, ut ſufficienti teſtimonio probari poſſit. Quam duplicem Heterodoxi occulti acceptionem quidam JCti expendentes, pure mentalem plecti non debere, occultum ſecundo modo incurrere pœnas ipſo jure ſtatuerunt, quos vide apud *Burſatum conſ. 289. n. 13.* Rectius tamen dici exiſtimem Heterodoxum mentalem puniri à Magiſtratu non poſſe, quam non debere. Quanquam enim religio, quatenus ſocietatem civilem firmat, directo reſpiciat actus ſolos exteriores, qui in ſenſus incurrunt, & officia civium mutua moderantur; tamen quoniam hi principium internum præſupponunt, Magiſtratum, qui actus iſtos exteriores convenienter edi curat, de interioribus etiam ſollicitum eſſe oportet. Apertius adhuc idem è Juris ſacri divina conceſſione bis, ut dictum eſt, facta demonſtratur. Nam lex Dei actum aliquem præcipiens, animi internam rectitudinem, ut perfecte impleatur, requirit. Ergo Magiſtratus, cujus muneris eſt proſpicere, ut legem Dei omnes obſervent, pravitatem mentis, quantum in ſe eſt, corrigere debet. Jam credendorum equidem complexus, quem verbum revelatum proponit, haudquaquam inſtar legis proprie ſic dictæ, ſed tantummodo ſub conditione æternæ felicitatis obligat, unde Principi nihil videtur relictum ultra blandam invitationem & pater-

 nam

nam curam bonæ inſtitutionis; apparebit tamen ex inferius proponendis, etiam pœnis Heterodoxum ex Dei revelata voluntate recte ſubjici, id quod juxta modo dicta non tantum ad externam profeſſionem, verum etiam ad latentem nequitiam referendum eſt.

§. 5. Porro Heterodoxum ignorantia ſimplici laborantem ſuavi ac benevola inſtitutione corrigendum, ſupplicio eum ſolum, qui ex propoſito & cum pertinacia errat, afficiendum eſſe, tria principia exacto conſenſu docent, niſi quod ſecundum & maxime tertium Heterodoxorum ſimplicium curam Magiſtratui clarius & apertius demandat, quam primum. Quum autem hac vice de pœnis Heterodoxorum nonnihil commentari ſit animus, vox Heterodoxi hominem pertinaciter falſam de Deo Doctrinam propugnantem poſthac notabit, cujus in locum ſubſtituiſſemus Hæretici nomen, quod animi propoſitum perverſamque conſtantiam ex communi uſu involvit, niſi hoc ſuperſtitioſi cultus aſſeclis, Gentilibus ac Judæis, fere opponeretur; quanquam nonnulli Interpretes leges Codicis noſtri Hæretici ſignificationem aliquando extendiſſe putent. vid. *Autorem Comment ad prior. tit. Cod. Struvii Juri S. annexum, l. 1. tit. 5. c. 2. q. ult. p. 235.* Sed nunc diſtinctius Heterodoxorum è triplici principio variam notationem & pœnam examinare juvat.

§. 6. Connexio Religionis cum Societate civili Heterodoxos vocat omnes, qui à communi & recepta doctrina de Deo, ſive ea vera ſit, ſive falſa, abeunt, ipſosque, ut modo oſtenſum eſt, Magiſtratui commendat, non tam quoniam errant, aut nefarie ſentiunt, quam quia per talia dogmata juſtus eſt metus,

ne

ne Reſpublica capiat aliquid detrimenti. Id exprimit apud Dionem Caſſium Mœcenas, dum Auguſtum monet, ut odio ac pœnis proſequatur omnes, qui in Divinis aliquid innovent, idque non tam Deorum cauſa (quanquam hos contemnens ſit ad omne bonum opus ineptus) quam quoniam, qui nova Numina adorant, alios moveant ad rerum mutationem, unde conjunctiones, ſeditiones, conventicula. Nimirum ſicuti animorum arcta conjunctio, quam eadem ratio pietatis idemque de ſupremo Numine ſenſus efficit, homines ad ſocietatem colendam reddit aptiſſimos: ita qui pertinaciter novas ac inauditas de Divino cultu opiniones fovent, mentibusque Civium inſtillare ſatagunt, hos clarum eſt unionem Civilem paulatim ſolvere, & jura ejus amicitiæ, cujus vi omnes ad commune bonum & publicam ſalutem agunt, plerumque labefactare. Ergo regula hinc efformari poteſt, omnem opinionum in rebus Divinis diſcrepantiam atque varietatem ſtudiose & quoad fieri poſſit cohibendam, tanto diligentius autem quamque reprimendam eſſe, quanto eſt rei & ſaluti publicæ exitialior. Id quod tamen ex ipſorum dogmatum conditione definire non licet, cum contentio de rebus leviſſimis orta non raro capitale odium inter cives pepererit. Sicuti autem non omnino fieri non poteſt, ut Cives in capitibus cultus Divini diſſidentes commune bonum civilis felicitatis concordi ſtudio efficiant; ita regula memorata non eſt adeo ſtricte obſervanda, quin Reipubl. ſtatu ſic exigente aliquando inde recedere liceat. Multo minus applicanda ſunt, quæ dixi, ad civitatem, quæ pridem cives in religione di-

ſcrepan-

ſcrepantes habuit, & quos jam experientia conſtat diverſitatem ſentiendi à communi ſcopo non avertiſſe. Illi quidem nec in communitatem Civitatis cooptandi nec omnino tolerandi ſunt, quos juſta præſumptio eſt vinculum Reipubl. rupturos. Horum præcipui ſunt Athei, capitales omnis religionis inimici, qui providentia & cura Numinis è medio ſublata cives & in Deum & in ſe ipſos armant.

§. 7. E ſecundo principio Juris S. Heterodoxi ſunt primo qui religionis naturalis caput quodcunque impugnant. Neque inter eos alia differentia quærenda eſt, quam quod vel ſimpliciter & ſibi ſolis errent, vel alios, ut ſecum idem ſentiant, impellant, erroremque propagare laborent. Nam in articulis doctrinæ cæteroquin Heterodoxorum unus altero gravius non errat, niſi quod, qui exiſtentiam Dei inficiatur, reliqua ſimul omnia, quæ natura de eodem Numine docet, dejicit. Porro autem ſicuti Doctrina de Deo connata ad cultum nova revelatione præſcriptum nos manuducit, quæ pædagogia peculiare caput religionis naturalis conſtituit: ita hinc conſequens eſt eandem legem pro Heterodoxis habere omnes, qui eorum aliquid inquinant, quæ Deus præter ea, de quibus lumen connatum inſtruit, credi de ſe in verbo revelato juſſit.

§. 8. Sed de his ex eodem verbo revelato multo clarius conſtat, ſuntque ipſorum variæ omnino claſſes. Præterquam enim quod alii univerſam fidem ejusque principia impugnant & extra Eccleſiam vivunt, alii certam ſolummodo partem doctrinæ adoriuntur, adhuc ſpeciatim in Hæreticos & Schiſmaticos

ticos

ticos dividi ſolent, quam diſtinctionem Religio naturalis ignorat. Hæretici ſunt, qui fundamentalium articulorum aliquem evertunt; Schismatici qui doctrinas ad ſubſtantiam fidei non pertinentes rejiciunt aut polluunt. Quanquam inſuetum non eſt Hæretici nomen tribui omnibus, qui quamcunque opinionem ſcripturæ adverſam intra ſinum Eccleſiæ pertinaciter defendunt; viciſſim Schiſmaticos dici etiam illos qui in fundamentalibus errant. Quorſum referri poterit nota vox Marcionis, quum primum profiteri errorem publice inciperet, *σχίσω τὴν ἐκκλησίαν ὑμῶν, καὶ ἐκβαλῶ σχίσμα ἐν αὐτῇ εἰς αἰῶνα*: niſi forte Auguſtini illud quis hic attendendum putet, *omnem* affirmantis *hæreſin è Schismate naſci.* Non exiguam autem difficultatem circa diſtinctam notionem Hæretici parit illud, quod articulorum fundamentalium verus numerus non ſatis prompte definitur, & qui in eadem Eccleſia vivunt pro Schismaticis ſæpe habent, quos alii Hæreticos nominant. JureConſultos equidem non paucos *l 8. C. de hær.* movit, ut crederent decreta quatuor Synodorum, quas vulgo Oecumenicas dicimus, adæquatam normam orthodoxæ veritatis & hæreticorum dogmatum eſſe, eumque demum Hæreticum, ſaltem ex jure Juſtinianæo, nominandum, qui aliquam partem Doctrinæ, de qua Concilia iſta convenerunt, neget. Veruntamen quod pace illorum, qui ita ſentiunt, dixerimus, hujusmodi quid ex allegato textu non evincitur; Agit enim iſte de ſolis Apollinariſtis, coërcetque omnes, qui Eutychetis ſententiam deciſionibus conciliorum anteferant, Quod ſi fateamur etiam de Hæreticis generatim eſſe ſermonem non plus tamen hinc, quam è

l. 4. & 7 *C. de S Trin.* aut è *Nov.* 131. probabitur, qui textus autoritatem ſacrarum Conſtitutionum quidem extollunt, & damnant, qui iſtis regulis contradixerint, neutiquam vero Hæreticorum numero eximunt, quorum error non ſit ab aliquo quatuor Conciliorum expreſſe notatus. Sic Theodoſius M. Chriſtianos hortatur, ut Trinitatem Divinam in Unitate convenienter credant *l. 1. C. de S. Trin.* hæreticique dogmatis infamiam ſuſtinere vult, qui ſecus fecerint. Quis autem inde colligat, eos ſolos juxta Theodoſium Catalogum Hæreticorum abſolvere, qui in articulo de Trinitate pertinaciter errent? Arminianorum Sectam notum eſt articulos fidei fundamentales breviſſimo numero abſolvere. Romanenſes vero quantum in exceſſu peccent pridem docuit in Colloquio Ratisbonenſi Martinus diſputans καθ' ἄνθρωπον cum Gretſero, & evincens tanquam articulum fidei credendum eſſe, quod canis Tobiæ olim motitarit caudam. Inde non poteſt non fieri, ut Hæreticorum index ipſis in immenſum excreſcat, qua de re plura dicere ſuperſedemus cum eo labore præter JCtos dudum functi ſint Theologi, quorum Cathedræ ingentem & prolixam controverſiam de numero articulorum fundamentalium relinquimus, ſiquidem regulariter ad Eccleſiaſticum Ordinem (non tamen tanquam Jus Status) pertinet, hæreticarum opinionum venena juſſu Principis explorare (*l. 4. C. d. S. Trin.*); ad Magiſtratum vero politicum Hæreticos ita detectos nec pœnitentia crimen expiaturos coërcere.

§. 9. Viſuri quales pœnas triplex principium Heterodoxis irroget initio obſervamus, quemadmodum

dum pœna omnis proprie dicta & legem & Superioris arbitrium ſupponit; ita cum de ſuppliciis Heterodoxorum ſermo incidit, Heterodoxos intelligi tales, qui in Civitate verſentur & Magiſtratus Civilis poteſtatem agnoſcant. Quid ergo Orthodoxæ Genti in Gentem Heterodoxam liceat, nunc non quærimus Pœnam certe eo caſu locum non habere unusquisque videt Unico autem verbo explicandum eſt quod vulgo dicitur, *crimen Heterodoxiæ communi hominum conditione peccantem non ita eximere, ut merito ipſi denegentur etiam, quæ Lex Naturæ aut Gentium omnibus concedit.* Sane nemo negat, Heterodoxum eſſe hominem perinde ut eum, qui veræ fidei ac religionis notitia eſt imbutus. Et recte hinc colligitur, Heterodoxum ſi inter eos verſetur, quorum poteſtati non ſubeſt, iis privari juribus non poſſe, quæ beneficio Naturæ habet. Quatenus vero intra terminos civitatis ſuæ agit, libertatis & facultatis naturalis exercitio ipſi recte interdici è natura civitatis & modo coëundi in cœtum tam clare patet, ut commune illud aſſertum facillime dejiciatur. Interim uti legem naturalem nullo caſu temere violare licet; ita nec in tractando Heterodoxo eam impune transgredi poſſumus. Et hinc deducitur: fidem Hæretico, etiam qui ſubditus eſt, ſervari debere. Qua de re prolixius non agimus, quoniam eum laborem alii pridem occuparunt. Ut redeamus ad triplex principium juxta primum Magiſtratui ex plenitudine poteſtatis integrum eſt legibus ſupplicia quævis ipſum etiam ultimum mortis Heterodoxis irrogare. Nan iſto jure autoritas Imperantium munienda eſt, ut vinculum Societatis Humanæ firmetur. Interim uti legum qua-

rumvis juſtitia diſtinctæ gravitatis, qua unum peccatum aliud excedit, rationem haberi poſtulat: ita æquum eſt Heterodoxos ſolicitius obſervari, quorum opiniones ſeditionibus ac diſſidiis magis ſunt idoneæ. Patet ſua ſponte, quod ſeverius merito puniantur, qui aperte turbis coadunatis tumultus & perfidiæ occaſionem requirunt, uti loquitur *l. C. de S. Trin.*

§. 10. Quam pœnam Heterodoxis principium ſecundum dictari velit, non magis obſcurum eſt. Iſta enim ſubordinatio Magiſtratus Humani, qua Deo ſubeſt, crimen læſæ Majeſtatis Divinæ oſtendit ab eo, qui Majeſtate inter homines eſt inſignis, merito vindicari, & gravius quidem (ſi cætera ſint paria) quam puniri delictum in Imperantes noſtros commiſſum vulgo ſolet, id quod advertit *Auth. Gazaros C. de Hær.* Jam quoniam absque ſummo ſcelere & absque blaſphemia Religionis naturalis pars nulla negatur aut infringitur, adeoque error cultui à Deo mentibus noſtris impreſſo adverſus non eſt niſi perpetua & continuata blaſphemia, qualibus pœnis liceat Heterodoxos ex hoc ſecundo principio afficere, amplius obſcurum non videtur. Reliquorum in verbi revelati articulis errantium pœnam & correctionem è principio Revelationis Divinæ nunc cognoſcemus.

§. 11. Equidem an vis coactiva externa Poteſtati Eccleſiaſticæ, qualis hodie eſt, jure divino adjuncta ſit, necne, Theologi diſpiciant. Sane Praxin N. T. negari nequit Heterodoxos ſub exordium naſcentis Eccleſiæ ſpiritualibus potius armis oppugnaſſe quam corporis affeciſſe ſupplicio. Conſtat errantes refractarios variis excommunicationum gradibus coercitos fuiſſe,

iſſe, pœnis autem externis in ipſos non animadverſum. Interim nullibi mandato DEI poſitivo ab eadem poteſtate vis illa cogendi ſeparata invenitur, multo minus interdictum Magiſtratui ne mulctis & afflictionibus fortunarum aut corporis in Heterodoxos animadverrat. Quin potius ut de Blaſphemis taceamus, Heterodoxos pertinaces exilio plectendos è variis Scripturæ locis doceri poteſt, quanquam id potius propter exemplum & infectionem probæ gregis, quam propter errorem in ſe ſpectatum fieri natura Fidei ſalvificæ dictitet. Quantum ad Schiſmaticos, eos pœna corporali non facile plectendos admittitur; neque tamen omnino probari poteſt, quod aliqui aſſerere non dubitant, liberum cuique arbitrium in quæſtionibus fundamentum fidei non concernentibus relinqui debere nec diverſa ſentientem condemnandum aut ſpernendum eſſe.

§. 12. E jure Principis ſacro ita luculenter, ut ſperare licet, deducto facile fuerit de Juſtitia legum, quas Codex Juſtinianæus de Paganis, Cœlicolis, Judæis & imprimis de Hæreticis exhibet, judicare, ſatisque feliciter excutientur tela, quibus iſta impeti ſolet. Defendent Paulum *ſent. l 5. t. 21. §. 2.* ita ſcribentem: *qui novas & uſu vel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moveantur, honeſtiores deportantur, humiliores capite puniuntur*; ea quæ in explicatione principii primi Juris circa Sacra diximus. Nec deerunt, quibus Imperator ultimum ſupplicium dictitans his, qui illicita docuerint, *l. 8. C. de Hær. § f.* à crudelitatis nota abſolvatur, ut non neceſſe ſit ad inſuetam *Ultimi Supplicii* acceptionem

confugere. Ad eandem normam ipſæ etiam Canonicæ leges ſic examinandæ & imprimis cum S. literis, quarum ſenſui accommodatæ feruntur, conferendæ ſunt, ut qua excedunt ilico rejiciantur. Porro diſtinctæ gravitatis pœnarum ſuperſtitioſis Gentilibus & diverſis Hæreticorum ſectis varie in legibus potiſſimum civilibus indictarum ratio nunc facilius declaratur. Nam quamvis Sanctiones aliquas generales, quæ quodlibet Heterodoxorum genus puniunt, inveniri nemo negare poſſit; tamen in Manichæos, ut de aliis taceamus, longe graviora ſtatui quisque videt, quam vel in alios Hæreticos vel in ipſos Paganos. Id vero procul dubio inde eſt, quod Ipſorum error ſumme deteſtabilis fuit, civili unioni exitioſus & manifeſte blaſphemus, unde dicuntur ad imam usque ſcelerum nequitiam perveniſſe *l. 35. 65. C. Th. de Hær. & l 3. de Apoſtatis.* Cumque inter cætera nefaria ſua ſecreta, ut loquitur *Epiph. Hær. Man 66. n. 13. & 88.* magicas & diabolicas artes tractarent, ipſarumque profiterentur ſcientiam, merito ſane pœna Magis & Maleficis ſtatuta coercitos invenimus *l. 3. C. T. de Hær. coll. l. 9. & 10. de Malef.* Quo pertinet quod Jac. Godofredus *in not. ad C. T. l. 3. de Hæret.* refert, Gregoriani Codicis titulum aliquem Maleficos & Manichæos conjunxiſſe. Iſta Manichæorum ſcelera cauſam præbuiſſe dicas, ut à communi Hæreticorum appellatione exciperentur & diſtincto nomine venirent, tanquam aliis omnibus palmam pravitatis præripientes, in *rubr. C. de Hær. & Manichæis.* Poterat equidem hinc & è *l. 62. C. T. de Hæret.* quæ Manichæos à Schiſmaticis & Hæreticis perſpicue ſecernit, aliquis colligere,

gere, Manichæos olim Hæreticorum numero exemtos fuiſſe ideo forte quod impia de Chriſto dogmata tradentes Chriſtianorum nomine & ſinu Eccleſiæ indigni reputarentur, quale quid noſtro hoc Seculo de Socinianorum deteſtanda ſecta ſtatuendum probavere Theologi. Sed antiquior hiſtoria ipſorum inter Hæreticos omnino meminit, communique titulo Manichæi paſſim in legibus Theodoſii Junioris, Valentiniani, & aliorum comprehenduntur. De pœnarum varietate agit etiam *l. 65. C. Th. de Hæret.* quæ tres Hæreticorum claſſes ſuppliciorum generibus diſtinguit. Ulterius autem non tantum pluribus Heterodoxorum ſectis plures ac differentes pœnæ impoſitæ fuerunt; ſed & eosdem Heterodoxos modo mitius habitos reperimus, quousque nimirum ſpem emendationis facerent, modo ſeverius punitos, ubi errorem pertinaciter defendere ac propagare auderent, vel ſeditioſi eſſe inciperent. *L. 6. C. de Pag. & Sacrif.* cavetur, ne quis Chriſtianorum Gentilibus quiete degentibus manus inferat, quoniam videbantur comiter ad veritatem invitandi; *l. 9. & 10. eod.* vero pertinaces puniri & exulare jubentur. Huc recurrendum eſt, cum invenimus, inter Hæreticos Eunomianis teſtandi jus Theodoſium M. quod primum abſtulerat, nova ſanctione reſtituiſſe, Arcadium iterum ademiſſe & mox reddidiſſe, Theodoſium juniorem denique una cum jure militiæ & quibusdam aliis ſententia perpetuo valitura derogaſſe, uti è Codicis Theodoſiani connexione diſcimus.

§. 13. Non negamus præter has rationes dari alias non æque juſtas, ob quas priſci Imperatores varie in Heterodoxos ſtatuerint. Nam uti horum plurimi Præ-

fectis

fectis Prætorio erant obnoxii; ita leges novæ non raro ingenio & moribus aulicorum magis, quam cauſæ & rei accommodatæ ferebantur. Sic Theodoſius M. Tatiani & Rufini, qui illius in officio ſucceſſor fuit, indolem diverſam ſecutus in legibus de coercenda Heterodoxorum pravitate ferendis variaſſe reperitur. Quin & ipſos Imperatores fatendum eſt aliquando præjudicia, quibus animum vel primorum annorum inſtitutio vel aliunde hauſta falſa perſuaſio occupaſſet, à debita cura Religionis conſervandæ & ſupprimendarum Hæreſium avertiſſe. Id quod vel unius Valentiniani Senioris exemplo confirmatur, qui aliquando lege publica liberam omnibus ſentiendi docendique facultatem dedit, & Arianæ fœminæ conſortio gaudens, quanquam orthodoxam ſententiam ſequeretur, contradicentes tamen redargui aut corrigi non laboravit; conf. *l.* 9. *C. Th. de Mal. & Suidam ſub voce* ουαλεντινιανὸς.

§. 14. Ad diſtinctam pœnarum gravitatem, de qua diximus, pertinet, quod Judæos olim in Imperio R. mitius tractatos invenimus, quam alias omnes Heterodoxorum ſectas, nec tamen quibuscunque pœnis prorſus ſubductos. Sic & hodie à communi Heterodoxorum ſorte ac conditione Judæi aliquando excipi per ſpecialem Tolerantiam & conceſſionem Exercitii Sacrorum in certis locis ſolent. Alius autem Tolerantiæ longe plenioris modus eſt, quo Heterodoxi nonnulli Orthodoxis perfecte exæquantur, ita ut ab omnibus pœnis vel cuivis vel uni certo Heterodoxorum generi communiter indictis diſerte vel una Heterodoxorũ ſpecies vel unius ſpeciei pars, tanquam ſpecies quædam

dam inferior eximatur. Hinc nata eſt peculiaris acceptio vocis Hæretici, qua ſignificat non eum, qui circa fundamentum fidei errat, ſed cui ſic erranti certum lex civilis ſupplicium minatur. Ita quum *l.12. C. de Hær.* Heterodoxis omnem dignitatem denegans Gothos tanquam fœderatos diſerte excipit ipſosque honorum capaces pronunciat, quamvis ſenſu Thelogico Gothi Hæreticorum eſſent atrociſſimi, quippe Ariana labe contaminati; Politica tamen vocabuli acceptione per illam Juſtini conſtitutionem Hæretici eſſe deſinebant. Cui ſimile quid in Imperio Romano-Germanico ſuperiori ætate contigit, ubi publicæ pacis Sanctiones & Capitulationes Imperatorum triplicis religionis mutuam amicamque tolerantiam decreverunt.

§. 15. Satis dictum eſt de Natura criminis quod in Religionem & Cultum legibus civitatis firmatum perpetratur. Ab omnibus aliis delictis, quibus poteſtas humana pœnam definivit, apparet in eo ipſum diſcrepare, quod non actu tranſeunte committitur ſed continuato & perpetuo. Unde fit ut error unius actus Heterodoxia illo ſenſu, quem §§ præced. voci accommodavimus, appellari non poſſit, nec pœnis ſoleat cöerceri, niſi vel autoritatem Divinam manifeſta contumelia affecerit, vel cives obedientiæ Magiſtratus Humani ſubtraxerit & armaverit in Majeſtatem. Viciſſim non aliam ejus legis, quæ Apoſtaſiam à communi regula præſcriptionis eximit, cauſam quæri oportet, quam peculiarem iſtius criminis conditionem, qua ſemper continuatur; vid *l.4. C.de Apoſt.*

§.16. In

§. 16. In cœtu heterodoxo nobile nomen eſt Apoſtatarum, hoc eſt Statum fidei ſuæ deſerentium, qui cum prius intra ſinum Eccleſiæ orthodoxæ ſententiæ inſtitutione eſſent imbuti, à tramite veritatis in errorum avia animo obfirmato declinant, & Heterodoxis, de quibus hactenus egimus, ſe miſcent. Equidem ea vox ex nativa ſignificatione etiam aliis competit, qui ſtatum & conditionem mutant: Doctores tamen ad uſum juris reſpicientes tres ſolum Apoſtaſiæ ſpecies proponunt; primam fidei, alteram obedientiæ, tertiam irregularitatis, quas vide explicatas apud *Maſcardum de Probat. vol. 2. concluſ. 112. n. 20. Menochium de Arbitr. Jud. cent. 6. c. 560. Farinacium part. IIX. Oper. Crim. q. 183. num. 5.* qui Autorum infinitam pene multitudinem allegant. Dimiſſis autem ad Canoniſtas ſecundi ac tertii generis Apoſtatis Apoſtatam Fidei eſſe cenſeo, qui fide ſemel agnita deſciſcit vel univerſam ejurando vel inſigniorem ejus portionem inquinando aut negando.

§. 17. Moraliſtæ non pauci nomen Apoſtatæ Fidei eum ſolum mereri volunt, qui Chriſtum & fidem Chriſtianam, quam ſuſceperat, penitus abnegat, & hoc ipſo Apoſtatam diſtinguunt ab Hæretico, qui ſecundum unum aut aliquos articulos à veritate ſemel agnita divertit. Ita *Azorius T. 1. l. 8. c. 21. q. 7. Valentia T. 3. d. 1. q 11. p. 1. Sanchez. l. 2 Mor. c. 7. n. 18. Laymannus l. 2. T. 1. c. 16. num. 2. Guido Carmelita Joh. de Turrecremata, Sylveſter de Pierio apud Alphonſ. de Caſtro l. 1. adverſ. hæret. c. 24.* Sed iſta explicatio gratis aſſumitur nec ullis ſuadetur argumentis, cui proinde aliam opponere ſuffecerit, etiamſi

cauſæ

cauſæ cur ita fiat non allegentur. Exiſtimo autem noſtræ definitioni (cui favere videtur *Thomas Secunda Secundæ q. 10. art. 5. & qv. 12. art. 1.* & *Alphonſus de Caſtro l. all. aliique*) præſidium è ratione nominis quæri. Quando enim dicitur Apoſtata fidei, fidem unicuique patet conſtitui terminum à quo. Jam Hæreticus æque ac Gentilis declinat à ſemel agnita fide, atque ſic ab utroque idem crimen, eodem nomine deſignandum, contrahitur. Aliud foret, ſi Eccleſiam faceremus defectionis terminum. Soli enim ad Paganos aut Judæos tranſeuntes Eccleſiam mutant: Hæretici in ejusdem ſinu manere creduntur. Quod unum obverti huic explicationi ſolet, nullam iſto pacto diſtinctionem inter Apoſtatam & Hæreticum fore, niſi quod iſtius vocis laxiores paulo ſint fimbriæ, de eo proxime diſtinctius agendum erit. Interim cum Moraliſtis ſentiunt JCtorum longe maxima pars, ea tamen differentia, quod illi de ſignificatu vocabuli ſimpliciter, hi de ejus uſu in corpore legum civilium diſputent. Apoſtata igitur argumento *l. 1. C. h. t.* ipſis eſt, qui omnino à Chriſtiana religione deſciſcit adeo ut ex Chriſtiano fiat Judæus. Sic *Maſcardus, Menochius, Farinacius locis proxime allegatis & recentiores fere omnes.* Secedit vero *Jacobus Godofredus*, qui in explicandis legibus Codicis Theodoſiani occupatus Apoſtatarum ratione ſtatus, ad quem olim tranſibant, tres claſſes facit. Aut enim Chriſtiani ſe maculabant idolorum impia ſuperſtitione, aut ad Judaicos ritus migrabant, aut Manichæorum nefanda ſecreta & ſceleroſos ſeceſſus ſectabantur. Quæ diſtinctio utrum ſit adæquata, legumque Codicis Theodoſiani ſententiam & caſus

 exhau-

exhauriat, aliis diſpiciendum relinquo. Certe ſi textus Codicis Noſtri conferimus, Apoſtaſia fidei adhuc latius patet. Refert enim ad Apoſtatas *lex ultima de Apoſt.* Monachos ſive Clericos, qui relicto vero Cultu Apollinaris vel Eutychetis Hæreſin & dogmata abominanda ſecuti fuerint. *Weſenbecius* quem in partes noſtras allegare poſſumus, Apoſtaſiam fieri, cùm à vera Religione tranſitur in Hæreſin retento Chriſtiani titulo, è lege etiam *penultima d. t.* probare ſatagit, ſed conatu irrito & facile, ſi verba propius conſiderentur, eludendo. Rectius allegatur *lex tertia* Valentiniani Junioris, cujus initium hæreticam ſuperſtitionem diſerte nominat. Eam tamen legem, ut in Codice noſtro exhibetur, à Triboniano interpolatam evincit *Jac. Godofredus*, & præter mentem Legislatoris ita detortam eſſe, ut de Catholicis ad Hæreſin deflectentibus capi poſſit: Valentinianum ipſam tuliſſe in Apoſtatas, qui è Chriſtianis Fidelibus facti ſint Pagani, & hos diſtinxiſſe à Catechumenis, quos vocet lapſos & errantes, quosque pœnitentia ductos non rejici ut illos, ſed recipi in gratiam velit. Hanc explicationem illuſtrat & confirmat iſtorum temporum Hiſtoria, è qua diſcimus Doctorum prima ætate Eccleſiæ præſidentium difficultatem in admittendis illis, qui deteſtanda defectione vitam aut facultates redimere maluerant. Inter eos Cyprianus, qui integro quidem ſeculo Valentinianum præceſſit, ſed cujus ſententiam ſequenti ævo non pauci propugnarunt, ob nimiam ſeveritatem reprehendi à Scriptoribus meruiſſet, niſi defenderent Viri zelum crebra tunc deficientium crimina, quorum nullus futurus erat finis, ſi in

reci-

recipiendis lapſis Epiſcopi ſe faciliores præbuiſſent. Fuit autem priſcis ſtatim temporibus diſtinctio inter Fideles ſive baptizatos & Catechumenos facta, ut hi quidem redeuntes facilius ſuſciperentur, quam illi qui pleno conſilio egiſſe videbantur, & quorum ne pœnitentia commentitia aut concinnata eſſet, maximopere metuendum erat. Ita *Chryſoſtomus*, *Ambroſius*, *Athanaſius*, *Auguſtinus*, *Hieronymus & ipſe Cyprianus aliique Patrum paſſim.* Quanquam vero iſta omnia de Valentiniani mente forte ſatis clare teſtentur, ac Triboniani interpolationem omnino perſuadeant, exiſtimo tamen adhuc è dicta lege probari, ſaltem Triboniani tempore nomine Apoſtatarum notatos fuiſſe non eos ſolos, qui ad Gentiles aut Judæos, ſed etiam, qui ad Hæreticos deficerent. Tantum nimirum ea ætate Hæretici cœtus creverant, ut Eccleſiæ nomen quoq; ſibi ſumere auderent, *l. 5. C. de Hær.* utq; adeo tranſitus fieri à partibus Orthodoxorum ad ipſos poſſet. Id quod prioribus ſeculis, quum Hæreſes modo naſcerentur, aliter habebat. Nam ſicuti Apoſtaſia duplicem ſupponit Statum, ſive Terminum, unum à quo diſceditur, alterum ad quem; ita quando primum prodeunt opinionum monſtra, Hæreſiarchæ potius ſunt, quam Apoſtatæ, nec per Apoſtaſiam propriam ad iſtorum cultum Catholicus deficit, priusquam certum aliquem Statum, ut ita loqui liceat, determinata & formata fidei profeſſio colentiumque bonus numerus ſeu multitudo conſtituit. Vetuſtiori proin ætate, cum Hæreſes recens ortæ illico ad Statum aliquem non pervenirent, Apoſtaſia ad Hæreticos eſſe non poterat, nec adeo legibus notata reperitur.

in ſacroſancta Myſteria injurium. Imprimis vero timendum eſt exemplum, quod utplurimum efficacius movet, quam ſeductoris cujusque aſtutiſſimi perſvaſio. Non igitur injuſta eſt ſanctio Conſtantii, qua Apoſtatas Judæos proſcriptione bonorum multat, quale quid univerſo Judæorum Generi nunquam fuerat irrogatum, *l.1.C.h.t.* Nec inique Conſtantinus M. eosdem pœna arbitraria plectendos conſtituit, *l.1.C.Th.de Jud. Cælic. & Samar.* Quo etiam referenda eſt *l. 3. C.h.t.* quæ Apoſtatis pœnitentibus ſuccurri aut veniam concedi prohibet. Hinc denique colligere licet: Principem aliquando punire poſſe Apoſtatas, etiamſi ſectam illorum, ad quos tranſierunt, à pœnis privilegia vel pacta pridem exceperint, maxime ſi tale crimen frequentius committatur & metus ſit, ne magnam multitudinem exempla ad defectionem inducant.

§ 20. Cæteroquin dum pœnam deſertæ fidei à pœna Heterodoxiæ in Apoſtata ſeparo, monendum eſt, in decernenda iſta regulariter non ſolam deſertionem conſiderari, ſed ſimul reſpici ſolere terminum ad quem, & hinc diverſa gravitate in deſciſcentes animadverti. Sicuti enim ſupra Imperatores variis ſuppliciorum generibus Heterodoxos affeciſſe dictum eſt; ita Apoſtatarum quoque omnium non unam & eandem pœnam leges memorant. In quam rem plura cumulare non attinet, cum ante dicta facile ſufficere poſſint. Pertinent autem huc *l. 2. & 4. C. de Apoſt.* circa quas conciliandas magno alias, ſed inani labore occupati ſunt Interpretes. Valentinianus enim Junior, cujus eſt lex prior, Apoſtatis quibuscunque hanc pœnam irrogat, ut mortui poſſint intra quinquennium

nium

nium accuſari. Valentinianus vero *III.* qui legem alteram tulit, pœnas Apoſtatis à Valentiniano Jun. dictas in his, qui ad caſtra Judæorum aut Manichæorum tranſeunt, vult obſervari, ſed qui ad Paganos deciſcunt, eos gravius plecti jubet, ita ut accuſatio ipſorum poſt mortem ſit perpetua & actio competat ab inteſtato venientibus ad reſcindenda teſtamenta, etiam iis, qui vivo Apoſtata criminis ejus conſcii tacuerint. Hæc ut clariora è collatione utriusque legis, qualem Theodoſianus Codex exhibet, evadunt, ita de Triboniani adverſas pugnantesque ſanctiones combinantis errore nullis limitationibus aut caſuum variis circumſtantiis excuſando maniteſte teſtantur.

§. 21. Cum pœnas Apoſtatis Jure Civili dictas ſigillatim evolvimus, ultimum ſupplicium expreſſe ipſis decretum non reperitur, uti recte docent Alphonſus de Caſtro & Nicolaus Arelatenſis, quorum ſententiam Menochius & alii à Farinacio allegati fruſtra dejicere laborant ex *l.5.C.de Apoſt.* quæ pœnam mortis dictitat his, qui vel ſuaſionibus vel vi metuve incuſſo aliquem ad Apoſtaſiam moverint. Non parum enim falluntur, cum inde à fortiori ad Apoſtatas colligere ſe poſſe exiſtimant, ſiquidem manifeſta exacerbati ſupplicii cauſa, innocentium nimirum animarum malitioſa ſeductio, in Apoſtatis qua tàlibus non reperitur. Interim quando *l. 11. & 12. C. de Hær.* Manichæos capitis damnari vult, quis dubitet ex ejusdem legis ſententia morte mulctandos eſſe omnes, qui ab Eccleſia ad nefandæ Sectæ ſacramenta fugiunt? Similiter dum leges utriusque Codicis deportationis & exilii miſeriam nonnullis Hæreticis decernunt, Apoſtatis eandem recte irrogari facile evinci-

D tur.

tur. Sed ut Deſertoribus nullibi reperitur indicta. Quin potius, Aulicis tale quid Imperatori Valentiniano ſuadentibus, ipſe majoris pœnæ cenſuit verſari inter homines & hominum ſuffragiis carere *l. 3. C de Apoſt.* ac proinde vivere quidem Apoſtatas & manere in Civitate, ſed absque Jure Romano eſſe voluit nihilque cum cæteris habere commune, quam legem hactenus) Tribonianus cenſuit retinendam. Eam pœnam *Menochius* merito Excommunicationi ſimilem pronunciat (*de arbitr. Jud. l. 2. c. 6. c. 546. n. 16.*) nec inepte ipſa Excommunicatio quædam Civilis diceretur, de qua prout Orthodoxis ad errantium cœtus deficientibus propter tantum crimen infligitur & peculiarem converſionem in ſtatu civili quoad Perſonas Apoſtatarum & res ipſorum juri ſubjectas efficit ac imprimis negotia quædam perfecta reſolvit, impræſentiarum pauca conſignare conſtituimus.

§. 22. Dictant nimirum eandem pœnam Leges Civiles Heterodoxorum maximæ parti. Et eſt ſane ipſa omni procul dubio juſtiſſima, inter nimiam ſeveritatem negligentemque indulgentiam media, modo abſit blaſphemiæ ac ſeditionis facinus, quod utique gravius puniri meretur. Producit tamen idem Excommunicationis Civilis ſupplicium effectus in Apoſtatis haud paulo diverſos ab iis, quos Heterodoxi alii & ſtricte ſic dicti, qui nunquam veritatis ſalutaris participes, ſed ſemper, Infideles Judæi aut Hæretici fuerunt, experiuntur. Hi enim verbi cauſa honoribus & privilegiis poſt latas ſemel leges nunquam uſi ſuut, quæ illis auferuntur. Quod ipſum cum in quibusdam adhuc limitandum ſit & controverſias non penitus nullius momenti pariat, viſum fuit operæ

pre-

pretium nos facturos eſſe, ſi è Jure Heterodoxorum de Jure Apoſtatarum judicaremus, atque ita legum Civilium defectum ſupplere conaremur.

§. 23 Sepoſito ergo mortis ultimo ſupplicio, quod ſive Apoſtatis juxta quosdam Interpretes peculiariter, ſive ei Sectæ, ad quam quis tranſit, univerſæ vel ob blaſphemiam vel ob ſeditionis enormes exceſſus Doctrinæ inſeparabiliter adhærentes aliquando dictatum reperitur: Sepoſita etiam pœna deportationis aut exilii, quam mitius paulo peccantibus Legislator decrevit: Sermo erit de eo pœnarum genere, quod manentes in Civitate & Civium fere inane axioma retinentes Apoſtatas afficit. Ubi quidem primum quid in Heterodoxos ſtatutum ſit, evolvendum; exinde autem poſtea quali pœna plecti debeant Apoſtatæ, judicandum erit beneficio Regulæ Generalis: *Quale Heterodoxorum Jus ſemper fuiſſe concipitur, tale Apoſtatarum Jus fieri ex eo tempore, quo relicto tramite veritatis in errorum avia declinarunt.* Secus enim melior foret Apoſtatarum quam Heterodoxorum conditio, cum tamen illorum crimen nemine facile diffitente ſit atrocius. Cæterum quando dicimus Apoſtatam à tempore deſertæ primum fidei pœnas ſuſtinere, ad communem Doctorum aſſertionem è textibus Legum comprobatam reſpicimus, quæ tam Apoſtatas quam Heterodoxos ipſo jure incurrere pœnas affirmat, ut quemadmodum Heterodoxorum v. g. teſtamentum *ipſo Jure* nullum eſt, ita Apoſtatæ ultima voluntas tum condita, quum adhuc Orthodoxus eſſet, *ipſo Jure* reſcindatur. Id quod tamen ſic exaudiri debet, ut ſententia Judicis condemnatoria non ſit opus. Nam declaratoriam aliquando intervenire pridem obſerva-

 runt

runt Doctores apud *Burſatum conſ. 14. 43. & alibi paſſim.* Diſtinguere nimirum oportet inter Heterodoxum manifeſtum & occultum. Illum citra omne Judicis factum lex ipſa juribus Civium privat. Hunc autem pronunciare Judex debet ejus criminis reum, propter quod ipſo jure pœnam pridem incurrit. Neque enim rarum eſt è genere Heterodoxorum quosdam Orthodoxiam ſimulare cum aliis de cauſis, tum maxime ut Magiſtratus ſeveritatem fallant. Atque hinc explicandam putamus *l. 4. C. de Hær.* ne ipſa Manichæo demum convicto contrahendi, donandi, teſtandique Jus adimens opinioni receptæ obſtet. Eſt autem cumprimis Apoſtatarum illud artificium, ut Orthodoxos ſe mentiantur, atque hoc pacto curam Judicis fatigent. Redeundum eſt in viam. Ex eo igitur, quod pœna ipſo Jure debetur, recte omnino colligimus, puniendi exordium fieri à tempore commiſſi criminis non declarati aut detecti. Sic apud *Tiraquellum ad l. ſi unquam C. de Revoc. Don.* Gloſſa *in Clem. 1. §. verum quia &c.* pœnam ipſo Jure impoſitam afficere delinquentem quantumvis occultum diſerte pronunciat.

§. 24. Dum Tractationi accingimur, verbo prius dicemus de pœnitentia Apoſtatarum, accuratam deciſionem controverſiæ, an crimen, quod ſimplici errore in religionem committitur, ſerio dolore ac reſipiſcentia expietur, aliis relinquentes. Exiſtimamus igitur veriorem illorum ſententiam eſſe, qui per leges civiles Apoſtatam pœnitentem jura & privilegia omnia ipſo jure ſtatuunt recipere, quemadmodum is per crimen deſertionis eadem ante amiſerat, conf. *Burſat. c. 14. & 43. Weſenb. ad l. 3. C. de Apoſt. Struv. in d. l. & alios.* Eo nomine

mine recte allegatur *l.4.§.6.C de Hær.* quæ delicti veniā Manichæis pœnitentibus promittit, h.e. jura civilia quibus propter Heterodoxiam carent, tribuenda & reddenda pollicetur, uti è textus connexione apparet. Jungenda deinde eſt *l.3.C.de Apoſt.* quæ lapſis & errantibus ſubveniri diſerte docet. Quod autē hæc ipſa lex illis, qui ſanctum baptiſma hæretica ſuperſtitione profanaverint, remedio pœnitentiæ ſuccurri negat, id ſententiā, quam elocuti ſumus, non evertit. Nam ſi primi Legislatoris mentem ſecuti eo ipſo Fideles ad Paganiſmum deficientes coerceri ſupponimus, exiguus ſane erit numerus exceptorum à regula; ſin, quod rectius fieri §.17. innuimus, quid Tribonianus ſtatuerit, contemplamur, vel Weſenbeccii §.18. expoſitam conjecturā accipiemus, vel generatim affirmabimus, dictam legē ſancire, quosvis Apoſtatas in ſtatum priſtinum per pœnitentiam non reverti, quorum deſertioni adhæſerit actus aliquis blaſphemus & in ſanctam fidem injurius, vid. *§.19.* Aliud autem eſt Apoſtatam blaſphemum non reſtitui per ſolum dolorem de commiſſo crimine; aliud Apoſtatam, qui ſimplici errore, absque actu blaſphemiæ & ſeditionis, religionem conſpurcat, de quo nos potiſſimum agimus, jura civis amiſſa per pœnitentiam non recipere.

§.25. Unicum monemus, quod & ipſum tamen deinde ulterius explicandum erit, cum è Regula Generali paulo ante propoſita & jam alibi dictis ſequatur, actus Apoſtatæ civiles, quales ab Heterodoxis editi ipſo jure nulli ſunt, propter crimen deſertionis reſcindi; initio id intelligendum eſſe de illis ſolis actibus & negotiis, quæ ante crimen cœpta non tantum, ſed etiam primo , non autem ſecundo perfecta omnique modo abſoluta fuerunt, verum certa adhuc ratio-

nependent. Nam quæ, antequam Orthodoxus fidem & religionem deſereret, ita conſummata ſunt, ut nihil omnino obligationis ex ulla parte reſtet, ea reſolvi utilitas Reipublicæ non permittit. Deinde ab eadem regula excipiendi ſunt certi actus & negotia, quæ utut à libertate voluntatis humanæ contradictoria quoad originem pendeant, firmitatem tamen peculiarem à lege naturali & divina poſitiva ſortiuntur, ut mutuo etiam conſenſu poſtea ſolvi non poſſint. Iſta enim negotia Magiſtratus ordinare nequit, ut ſemel rite peracta per Apoſtaſiam, crimen quidem alias gravsimum, penitus aboleantur. Denique dum de Jure Apoſtatarum ſingulari nos acturos promiſimus, patet ſua ſponte, ſi quando pœnæ civiles Apoſtatarum cum pœnis Heterodoxorum aliorum ſic conveniunt, ut nulla omnino differentia nullum diſcrimen relinquatur, non niſi pauciſſimis rem fore expediendam.

CAPUT SECUNDUM.

De Jure Apoſtatarum quantum ad Perſonas.

§. 1.

TRiplex objectum juris tripliciter Tractationem noſtram partitur; ſed cum nihil vel certe parum de Tertio dicendum occurrat, duobus capitibus omnia complectemur, ut alterum de jure perſonarum agat, alterum de jure rerum, junctis, quæ ad jus actionum pertinent. Jura perſonarum expendentibus primo loco occurrunt tres Societates vulgo ſimplices dictæ,

circa

circa quarum ſingulas crimen Apoſtaſiæ mutationem quandam producit.

§. 2. Imperium Herile & Servitus non ab ipſa natura conſtituta, ſed primum facto Gentium & conſenſu introducta, poſtea variorum populorum, imprimis Romani, moribus legibusque perfecta eſſe certius arbitramur, quam ut hoc loco demonſtrandum ſit. Nihil ergo hac parte impedit, quo minus in civitate legislator facinoroſos Imperio Herili exuat ac nullo aliorum ſervitio juvari edicat. Poterantque adeo Principes olim ſanxiſſe, ut nulla penitus mancipia Heterodoxi haberent. Sed hujusmodi generalis conſtitutio in Corpore legum Romanarum non apparet. Cautum vero reperimus, ne Pagani, Judæi, aut Hæretici Chriſtiano mancipio utantur; Judæis etiam ſpeciatim interdictum alius, quam ſuæ ſectæ, ſervos in familiam ſuſcipere.

§. 3 Quod prius attinet, Imperatores antiqui leges, quas Codex Theod. continet, & quarum una in codicem noſtrum relata eſt ſub titulo peculiari *Ne Chriſt. Manc.* ſolos Judæos ab acquirendo ſervorum Chriſtianorum dominio removentes tulerunt. Neque alibi inter eas, quæ Paganorum & Hæreticorum impietatem damnant, ulla vetat orthodoxa mancipia poſſidere. Nam quod *l. 4. § f. C. de Hær.* ſervos extra noxam eſſe vult, ſi dominum ſacrilegum evitantes ad Eccleſiam Catholicam tranſierint, eo manifeſtum eſt nihil aliud innui, quam ſervos veram fidem amplectentes dominorum, qui heterodoxa ſuperſtitione imbuti ſunt, poteſtati n præmium veritatis agnitæ ſubduci conf. *Jac. Godofr. ad l. 40. C. Th. de Hær.* Iſta expendens Viglius rubricam tituli Juſtinianæi corrigendam & verba

ba quædam delenda putavit, ut conveniret ipſa cum rubrica Codicis Theod. ſed conſtitutio Græca, quam Contius reſtituit, quæque legis 2. locum in titulo memorato occupat, una cum *l 56. §. 3. c. de Epiſ. & cler.* aperte teſtatur inſecutis temporibus ad Heterodoxos quosvis extenſum fuiſſe quod olim erat in ſolos Judæos decretum. Atque hanc quidem extenſionem à Juſtiniano factam defendit legis Judæo mancipii Chriſtiani acquiſitionem interdicentis generalis & ad omnes Heterodoxos æque quadrans ratio. Sive enim expendimus, quod Codicis Theodoſiani lex ultima Chriſtiana mancipia ideo à Judæis comparari prohibet, *quoniam nefas ſit, religioſiſſimos famulos impiiſſimorum emtorum dominio inquinari*; ſive proſpexiſſe legum latores credimus, *ne innocentes in Judaicam ſuperſtitionem ſeducerentur*. uti innuit *Nicephorus l 9. c. 20.* quando legem Conſtantii, quæ eſt *l. 1. C. Ne Chriſt. manci. &c.* enarrat; quadrant iſta perinde, ut ad Judæos, ad quaſcunque Heterodoxorum ſectas. Tum vero ſi generatim omnis non Orthodoxus propterea Magiſtratum gerere prohibetur, ne habeat licentiam vexandi Chriſtianos *l. 12. C. de Hær.* quidni ex eadem ratione colligere liceat, Chriſtianum mancipium non magis à Pagano aut Hæretico quam à Judæo acquiri debere? Interim quod Judæis non orthodoxo tantum, ſed & alius heterodoxæ ſectæ, quam ſuæ, mancipio uti ſpeciatim *l. 1. C. ne Chriſt. manci. &c.* interdictum eſt, ideo factum prodidit *Sozomenus*, ut tanto minus augeretur ſuperſtitio, quam omni modo opprimi & eradicari intererat, *l. 3. c. 16.* conf. *Niceph. l. 9. c. 20.* Præter memoratam differentiam inter leges à primis Imperatoribus latas & illas, quæ Ju-

ſtinianum

ſtianum autorem habent, alias duas invenimus hoc loco probe & accurate obſervandas. Primo quas in Codice Theodoſiano legere licet, Judæum patiuntur mancipia olim poſſeſſa retinere, quin & ex fideicommiſſo acquirere, ſolum emtionis & donationis titulum damnant: Juſtinianus autem generali edicto habendi facultatem omnibus adimit, & Tribonianus ad Imperatoris mentem *l.1.C. ne Chriſtianum mancipium &c.* interpolando & variando ſic parat, ut quisvis titulus improbetur, quanquam id primi Legislatoris ſententiæ parum ſit conſentaneum. Secundo qui ante Juſtinianum imperarunt Principes eos ſervos initio ſolos, qui à Judæis dominis clam circumciſi tantum ſcelus ſponte propalaſſent, libertate donari voluerunt (*l.1.C.Th.d.t.*) deinde illos quoque eodem præmio decorari ſanxerunt, qui legem mancipia Chriſtiana Judæo denegantem à Dominis temere violatam probaſſent; reliquos fiſco juſſerunt vindicari (*l.4. eod.*) Sed Juſtinianus in duabus conſtitutionibus ante allegatis ſublata differentia, ut habet communis opinio, omnes ſervos Chriſtianos à Judæis acquiſitos, ſive ipſi rem judici aperuiſſent, ſive id innotuiſſet aliunde, in libertatem reſtitui voluit.

§ 4. E dictis inferri poterat, juxta leges antiquiores crimen Apoſtaſiæ poteſtatem quidem mancipia acquirendi in illis, qui ad Judaiſmum tranſiverint, extinguere, jus autem dominorum mancipia Chriſtiana poſſidentium haudquaquam evertere, quoniam nominatæ leges Judæo mancipiorum olim acquiſitorum pacatam poſſeſſionem reliquerunt; niſi moneret *l.1.C. de Apoſt.* ejus, qui è Chriſtiano fit Judæus, facultates

omnes publicari. E legibus Juſtinianæis ſequitur, Apoſtatam quemvis ſive ad Paganos ſive ad Judæos ſive ad Hæreticos deficiat, mancipia Chriſtiana, quæ antea legitime poſſederat, amittere; eſtque hæc ſatis conſpicua mutatio, quam quoad ſtatum perſonæ in familia crimen Apoſtaſiæ efficit. Ex iisdem porro legibus, quid mancipiis poteſtati Apoſtatæ ita ſubductis eveniat, definiendum videtur; omnia videlicet libera eſſe ex voluntate benigniſſimi Imperatoris cui quot quantasque leges favor Libertatis ubique dictaverit nemo facile ignorat. Ita Doctores communiter, præeuntibus *Deciano Crim. l 5. c. 43. & Farinacio q. 189. §. 27.* Sed quanquam omnes ſervos ab Heterodoxo adverſus legem expreſſam acquiſitos Juſtinianus ſine differentia liberos eſſe juſſerit, atque ita priorum legem limitationem & diſtinctionem ſuſtulerit, putamus tamen illud ad caſum Apoſtaſiæ non pertinere & ſervos Chriſtianos poſt crimen Deſertionis à Domino commiſſum tunc ſolum olim liberos fuiſſe, ſi ſcelus Domini revelaſſent & ita fervorem conſervandæ Religionis teſtati eſſent absq; præmio ſane non dimittendum. Reliquis caſibus ad fiſcum mancipia perveniſſe hinc oſtendi poteſt, quoniam ille Apoſtatæ cujusvis bona univerſa, ut inferius dicemus, ſibi è ſanctionibus Imperatorum vindicabat. Sane ſi iſtis præſuppoſitis omnia Apoſtatarum mancipia libertate fuiſſent donata, ceſſiſſet id in detrimentum Fiſci, quod in caſu Heterodoxi acquirentis mancipia Chriſtiana non accidebat. Dum enim hæc liberarentur, Fiſco interim proſpiciebatur per pœnam emptoribus impiis definitam, conf. *l. 2. C. ne Chriſtianum mancipium.* Iſto pacto, quæ *Al-*

phonſ.

phonſ. de Juſt. Hær. pun. l. 2. c. 7. c. 8. dixit, ab aliorum objectionibus defenduntur.

§. 5. Ita vero olim res habuit, quum Dominicæ poteſtatis nulli eſſent vel certe latiſſimi limites. Nunc poſtquam mancipiorum nomen atque conditionem perſonalem inter Chriſtianos ſublatam novimus, legis iſtius fere nullus eſt uſus. Saltem quoniam Heri in familiam poteſtas hodie autoritati publicæ ſubeſt, & ſervis de injuria quavis Dominos accuſare licet, metus coactionis, qui olim mancipia Chriſtiana heterodoxorum Dominorum arbitrio relinqui nolebat, ſervis orthodoxis Judæo vel Pagano vel Hæretico interdici non urget. Interim ſicuti oſtenſum paulo ante fuit, poſſe eum, qui Civitati præeſt, lege publica cavere, ut omni famulitio Heterodoxi careant; ſic inprimis conſtitui poteſt, ne qui cultum Dei verum inquinant aut abjiciunt ſervis illi addictis utantur. Quin imo Religionis dignitas ita fere facere ſuadet, nec immerito ponderatur, quod Chriſtianorum Imperatorum primos ante oculum habuiſſe Codex Theodoſianus perhibet. *l. ult. ne Chriſt. manc.*

§. 6. Patria poteſtas, qualis inter Romanos viguit, originem ſuam partim à natura traxit, partim à lege & moribus, quod JCti paſſim docent, ductu §. *2. I. de Patr. pot* Si maxime igitur quam facultatem natura parentibus in liberos conceſſit, ea privari Heterodoxi non poſſunt, uti quorundam ſententia defendit, reliqua tamen quæ liberalitati naturæ per jura civilia acceſſerunt, nemo dubitet per eadem

ura iterum ſeparari poſſe, cum nihil ſit tam naturale, quam eo genere quidque diſſolvi, quo colligatum eſt *l. 35. ff. de div. reg. juris.* Hinc potuiſſet Heterodoxis omnis patria poteſtas, quæ è Romanorum legibus pendebat, in pœnam & contumeliam auferri. Id tamen olim indiſtincte & generatim factum non reperitur. Quod enim Judæis antehac inter Romanos degentibus Jus Patrium Civibus Romanis proprium competiiſſe negat *Wurmſerus*, id quale ſit unicuique facile patet ex adjecta ratione, quod non ſecundum leges Romanas, ſed ſecundum legem propriam Moſaicam Matrimonia contraxerint. Hoc ſane aperte refutant *l. 7. & 8. C. de Judæis.* Potius ergo in Liberos ſuæ fidei jus ſalvum tam Heterodoxis quam Apoſtatis ſemper remanſit, eſtque adeo reprehendenda illorum aſſertio, qui ſimpliciter Heterodoxis Jus Patriæ poteſtatis denegant, vid. *Decianum l. all num. 28. & Variu l. all. §. 14.* In Chriſtianos autem liberos Heterodoxis Jus Patrium ſic denegatum invenimus, ut Filius à ſuperſtitioſo cultu ad Eccleſiam ſe recipiens patriæ poteſtati fuerit ſubtractus, haud dubie ideo potiſſimum, ne tentante, miminitate aut cogente Patre ad priſtinos errores rediret; deinde etiam remunerandæ pietatis & puniendæ ſuperſtitionis gratia, quæ cauſæ in aliis quoque capitibus præſentis Tractationis combinandæ & jungendæ ſunt, conf. *Benkend. apud. Wurmſ. nucl. Juris Cont. l. 1. t. 19 num. 48 p. 113.*

§. 7. Hinc & viciſſim, quod imprimis huc pertinet, Patre ad heterodoxam impietatem deficiente

liberi

liberi in veritate conſtantes ſui juris fiunt & patriæ poteſtatis commoda Apoſtatæ auferuntur. Ad utrumque vero caſum pertinere poſſunt leges *12. 13. 15. 17. 18. 19. C. de hær.* quæ Patrem heterodoxum adigunt ad alendos liberos, dotandos, & elocandos Orthodoxis. Porro quamvis obedientia, qua naturæ ordo Parentibus liberos ſubjicit, per LL. Civiles ſublata nec ſit, nec eſſe poſſit, ſed potius delinqui in Heterodoxos à liberis orthodoxis non tantum ut homines verum etiam ut Parentes ſatis clare innuat *l. 13. C. de Hær.* tamen jus coercendi delictum filii atrocius Patri per ſanctiones civiles alias competens in Apoſtatis leges ita extinguunt, ut exheredare nequeant, ſed quarta pars filio etiam immorigero remaneat *ex l. 13. ead.* Circa acquiſitionem per liberos & triplex peculium quid per Apoſtaſiam immutetur, leges expreſſe non definiunt; licet tamen è principiis deductis ita judicare. Peculium profectitium quanquam alias plene ad patrem, cujus vel è re vel intuitu acquiſitum eſt, pertineat, *§. 1. I. per quas perſ. &c.* tamen cum & emancipatos aliquando ſequatur, patre nimirum in emancipatione peculium liberis antea donatum non revocante juxta *l. 31. §. 2. ff. de don. & arg. l. 53. ff. de pec. l. un. C. de pecul. ejus qui lib. mor. §. 20. J. de Legat.* & à bonis ob crimen Patris Fiſco addictis ſeparari liberisque conſervari ſoleat *l. 3. §. 4. ff. in f. de minor.* poſt defectionem Patris à vera fide liberis orthodoxis cedere videtur, vel quia bona Apoſtatæ publicari ob tantum crimen ſolent, vel quia fit quædam quaſi emancipatio invita,

 in

in qua negari non iniquum eſt illud, quod patri alias emancipanti licet. Adventitium peculium Juſtinianus pridem veteris juris rigorem temperans ratione proprietatis filio ratione uſusfructus patri, quousque filius cum eo viveret, adſcripſit *§. 1. J. per quas perſ. & l. 6. pr. C. de bon. quæ liber.* & iterum ſanxit, ut patri filium emancipanti remaneret in præmium dimidia pars uſusfructus, *§. 2 J d. t.* Unde licet colligere, cum in caſu filii à patria poteſtate propter Apoſtaſiam Patris liberati favor emancipantis ceſſet, & quædam fiat emancipatio invita, præmium quoque emancipationi decretum amplius locum non habere, ſed univerſum uſumfructum illico proprietarium ſequi. Ex his ulterius fluit Filium Apoſtatæ recte teſtari, modo Apoſtaſia Patris Teſtamenti tempus præceſſerit, Regula Catoniana cæteroquin omnino valitura. Fluit etiam, Patrem Apoſtatam non poſſe Filio pupillariter ſubſtituere & teſtamentum ſic factum quoad illam partem per crimen Apoſtaſiæ corruere, etiamſi quoad reliqua valere tantiſper ſupponatur, conf. *Decianum, Farinacium & alios ab his allegatos.*

§. 8. Poteſtatis Patriæ qualis olim erat jure Romano, non qualis eſt jure naturæ, magnam partem abſolvit conſenſus Patris ad nuptias liberorum ita neceſſarius, ut eo negato matrimonium quantumvis conſummatum pro nullo habeatur, *§. 14 J. de Nupt. l. 2. ff. de ritu Nupt.* Cum itaque per commiſſum à Patre crimen Apoſtaſiæ contingat liberatio à poteſtate juxta hactenus dicta, dubitare quidem amplius non

licet,

licet, matrimonia per liberos Apoſtatarum orthodoxos contracta valida eſſe, etiamſi conſenſus Parentum non intervenerit; quando autem fingimus inter Orthodoxos filium non emancipatum contraxiſſe nuptias inſcio vel etiam contradicente Patre, Patrem poſtea deſerta vera religione in falſos cultus migraſſe, merito quæritur, an nuptiæ ſubſiſtant & à quo tempore validæ reputentur? Subſiſtere certe nuptias citra Parentum conſenſum contractas, quamprimum Filius ſui juris factus repetito conſenſu matrimonium firmaverit, verum eſt, & liberare patria poteſtate crimen Apoſtaſiæ perinde ut emancipationem, vel etiam mortem hactenus oſtenſum fuit. Si autem ne quidem Ratihabitio Parentum ſubſequens nuptias ſic firmat, ut retro operata eas à primo tempore contractus validas efficiat, quæ ſententia tanquam verior placet, intelligitur ſua ſponte, multo minus Apoſtaſiæ ſupervenienti tantum eſſe tribuendum. Eruntque adeo liberi ante avi Apoſtaſiam nati haudquaquam legitimi, niſi avum tempore nuptiarum Heterodoxum occultum fuiſſe vel aliunde vel ex ipſius potiſſimum confeſſione apparuerit, conf. *§. 23. c 1.*

§. 9. De nuptiali Societate viſuri nunquid iſtius vinculum per Apoſtaſiam ſolvatur, diſpiciemus initio an matrimonia valide poſſint inter Perſonas diſtinctarum Religionum contrahi? Ad ipſam matrimonialem conjunctionem inſtinctus quidam naturæ impellit, quem dictamen rectæ rationis (vel quocunque alio nomine rem eandem efferre libeat) vagam libidinem rejiciens determinat & moderatur. Itaque citra injuriam

juriam Heterodoxis interdici conjugio nequit, cum nulla lex humana impulſum naturæ ſiſtere aut cohibere, ſi vel maxime poſſit, debeat, quoniam talis impulſus per divinam benedictionem omnibus animantibus ineſt. Sed inter creaturas rationales conjugium ad certas perſonas reſtringi ut non ſit cuivis cum quavis nuptialis ſocietas, nil impedit, nec talis limitatio Juris principiis adverſatur, aut inſtinctum illum, de quo dictum eſt, tollit. Ergo quod jam in reliquis Societatibus Simplicibus obſervare licuit, Societate Nuptiali non in univerſum Heterodoxis leges civiles interdixerunt, ſed Heterodoxos tantum aliquos cum Orthodoxis jungi noluerunt. Ita *l 6. C. de Jud.* Judæos Chriſtianis nubere vetat. De qua quidem ſanctione hiſtoria docet initio Conſtantium ſolis Judæis tuliſſe legem, ne mulierem è Chriſtianis acciperent, propter poteſtatem maritalem, qua potuiſſet Judæus ad propagandam ſuperſtitionem abuti. Poſtea Theodoſium invenimus caviſſe, ne etiam Judaica Mulier Viro Chriſtiano nuberet, quippe quem illecebris & perſuaſionibus ſeductura videretur. Patet autem tam late utraque cauſa prohibiti inter Judæos & Chriſtianos matrimonii mutui, ut mirari ſubeat, quare omnino diverſarum religionum perſonis non reperiatur nuptiis Jure Civili interdictum. Certe interpretationis extenſivæ ratio ad Hæreticos & cum primis ad Gentiles trahi dictitat, quod de Judæis ſolis lex expreſſa cavet Atque ita olim lege Moſaica generatim conſtitutum reperitur, ne quis Iſraelita uxorem de Fili-

abus

abus alienigenarum acciperet, id quod Moraliſtæ ad N.T tempora traducentes perſonas matrimonio contrahendo idoneas ejusdem Fidei ac Religionis eſſe volunt & omnes nuptias Heterodoxorum cum Orthodoxis promiſcue damnant, præeunte ipſis Jure Canonico *28. q. 1. c. 8. 9. & 15* ubi à matrimonio cum Infidelibus, Hæreticis & quibusvis alienis à fide abſtinendum edicitur. Quicquid tamen iſtius ſit, leges civiles nuptias Orthodoxi cum Hæretico non tantum non rejiciunt, ſed etiam diſerte permittunt, cum de ſucceſſione liberorum parentes diverſæ fidei habentium diſponunt *l. 12. & 13. C. de Hær.* Exiſtimo autem varietatis hujus, qua leges matrimonia cum Judæis damnarunt, cum Hæreticis permiſerunt, cum Gentilibus non prohibuerunt, hanc cauſam fuiſſe, quod tunc temporis ſperaretur non tam crebro eventurum, ut Chriſtianus homo ſe mulieri Hæreticæ aut Gentili, vel Chriſtiana mulier homini Hæretico aut Gentili miſcere vellet, poſtquam tot legibus infamiam Hæreticis impoſitam unaque cum Gentilibus privilegia & jura quævis ablata alias etiam pœnas deſtinatas cernerent Judæi autem tanquam populi vera pars jure Romano, privilegiis & immunitatibus non paucis fruebantur, cultumque & ſacra legibus concedentibus publice exercebant. Atque ſic facilius induci Chriſtiana mulier ut Judæo nuberet aut Chriſtianus homo, ut acciperet Judæam, poterat, niſi voluntas & cura Magiſtratus præcaviſſet.

§. 10. Præſuppoſitis ita legibus, quæ Matrimonium Heterodoxi cum Orthodoxo damnant, ſi adverſus præſcripta earum legum nuptiæ tales contra-

ctæ & actu conſummatæ fuerint, nuptiæ non eſſe videntur ad exemplum earum, quæ absque conſenſu parentum fiunt, *§. 12. I. de nupt. l.2. ff. de R. N. &c.* Quanquam non deſint, quæ pro firmitate hujusmodi conjugii afferri queant, ita ut leges tantummodo pœnam transgreſſoribus minatæ non autem actum declaraſſe nullum dicantur, quemadmodum fere accidit noſtris moribus eis, qui in gradibus à Magiſtratu humano prohibitis matrimonii vinculum nectunt. Sic ſane *l.6. C. de Jud.* nonnulli interpretantur, quaſi ea ſolummodo adulterii pœnam conjugum adverſus ſententiam legis expreſſam contrahentium utrique imponat, neutiquam vero Religionis diverſitatem repudii aut divortii cauſam faciat vel nuptias nullas declaret. Verumtamen prægnans ratio non urget, ut ab ea explicatione recedamus, quam verborum naturalis ordo & ſenſus ſuadent; ſcilicet quemadmodum adulterium nunquam juſtarum nuptiarum eſt loco, ita matrimonium inter Judæum & Chriſtianum eſſe non poſſe. Unde porro fluit, liberos è tali conjugio ſuſceptos pro natis in adulterio adeoq; ſucceſſionis omnis incapacibus olim habitos fuiſſe, conf. *Barboſ. in l.d.6.C.de Jud.* Iſtam genuinam legis interpretationem eſſe hinc confirmatur, quod Romanos conſtat in ſolvendis nuptiis olim faciliores ſe præbuiſſe, forte quia non ſatis obſervabant, matrimonium haud pertinere ad meros contractus humanos, qui uti à voluntate noſtra unice pendent, ita variis de cauſis ac imprimis mutuo conſenſu iterum diſſolvi poſſunt. Cæterum quæ nunc de ſenſu legis civilis, nuptias Judæorum cum Chriſtianis rejicientis, dicta ſunt, ad leges

Canoni-

Canonicas matrimonia Heterodoxorum cum Orthodoxis prohibentes perinde pertinere dixeris, ut ſi quæ contracta,& perfecta fuerint,pro nullis ex iſtarum mente habeantur. Quanquam enim de iſto caſu expreſſe nullibi agitur, probabilis tamen redditur memorata ſententia, ſi cogitemus, ſtantibus Canoniſtarum nonnullis hypotheſibus, de quibus paulo poſt aliquid dicendum erit, nuptias perſonarum diverſæ fidei eſſe plane irregulares, & ſic nullo modo nullo tempore aut loco admittendas. Mereretur enim tale matrimoniũ ex parte infidelis conjugis nudi contractus nomen ac titulum, eſſet autem Sacramentum ex parte conjugis fidelis, quoniam à Sacramento fidei matrimonium redditur ratum ſive Baptismus poſitis terminis habilibus fundat rationem Sacramenti Conjugalis, *c. un. de vot. & vot. redd.* Unde ſequeretur Conjugum unum arctius per vinculum matrimoniale ligari, quam alterum; infidelem pluribus de cauſis poſſe abire, & novo nexu nuptiarum alii jungi; fidelem quocunque caſu poſito ad vota ſecunda adſpirare, quousque infidelis conjunx vixerit, non poſſe.

§. 11. Generalis regula, cujus beneficio è jure Heterodoxorum jus Apoſtatarum deducere hactenus ſolenne nobis fuit, colligere è dictis jubet, Apoſtaſiam rumpere vinculum nuptiale, quo duo Orthodoxi antea legitime nectebantur, cum per ipſam res in eum ſtatum deveniat, à quo initium capere non poteſt, *l. 3. §. 2. ff. de his quæ pro non* &c. Sed quod *ſub finem cap. I.* jam prælibavimus, exceptionem à regula hic parit peculiaris firmitas, quam contractus nuptialis tum à lege naturali tum potiſſimum à jure divino poſitivo nanciſcitur, unde etiam inter eos, qui communi-

ter ab hominibus fiunt, referri nequit. Lex quidem naturalis monet non temere ſolvendum eſſe vinculum, quo ad perpetuam conſuetudinem vitæ animi hominum ſociantur. Jus autem poſitivum Dei univerſale expreſſe vetat hominem reſolvere, quod ſuo nutu & auſpicio ſit colligatum. Interim quoniam nec hoc nec iſta quævis promiſcue divortia damnat, ſed cauſæ nonnullæ pactum nuptiale deſtituendi juſtæ utrinque agnoſcuntur, inveſtigandum eſt, an diſcrepantia Religionis cauſam præbeat ſatis gravem contractum de perpetua cohabitatione ſemel initum reſcindendi? Lex naturalis per divortium etiam invitum ea matrimonia rumpi dictitat, ubi eſſentialia conjugii ſalva non ſunt. Hæc vero per Infidelitatem aut Apoſtaſiam, qua talem, non evertuntur. Animadvertit enim unusquisque nec primarium pacti conjugalis caput de procreanda ſobole per diverſitatem religionis violari, nec auxilium, converſationem, defenſionem vel curam familiarem directo per ipſam tolli. Jam equidem illa obligatio naturalis, quæ nos ad promovendum Divini honorem Numinis & ad curandam ſalutem animæ noſtræ impellit, pacta vel ſalutem animæ vel honorem divinum intervertentia ineunda non eſſe dictitat, & vinculo initorum nos exolvit, adeoque ſeductionis timor & blaſphemia Creatoris, qua infidelis conjux ſe contaminat, adhuc divortii ſufficientem præbere cauſam videntur. Veruntamen conſiderandum hic eſt, blaſphemiam conjugis alias coërceri & innocenti abunde proſpici poſſe; ex altera parte metum ſeductionis juſtum tantumque vix unquam eſſe, quin conſtantia & pietate ſuperari

queat.

queat. Sane illud ſi ſatis roboris haberet ad ſolvendum pactum Matrimonii, non hæretica tantum perſuaſio, ſed quorumvis vitiorum labes, qua timendum ſit, ne ſincera pars inquinetur, vinculum illud rumperet, quod nemini in mentem veniſſe credimus. Refellit argumentum à metu ſeductionis petitum Apoſtolus *I. Cor. VII.* dum metui opponit ſpem converſionis: *Quomodo* inquiens *ſcis, Mulier, ſi virum ſalvum facies? aut quomodo ſcis, Vir, ſi ſalvam facies mulierem?* Lex poſitiva divina Novi Teſtamenti duas ſolummodo cauſas divortii legitimas facit; Apoſtaſiam & Infidelitatem non nominat. Ac ne quidem Veteris Pacti placita nuptias propter Apoſtaſiam rumpi dictarunt, ſed ut declaravimus, nuptias cum infidelibus illegitime & injuſte contractas pronunciarunt nullas eſſe. Quod tamen ipſum ad hæc tempora accommodare non magis licet, quam belli offenſivi, quo Iſraelitæ priſcos Terræ Sanctæ incolas ejeciſſe memorantur, exemplo uti, ad defendendam imperandi libidinem, quæ absque cauſa alios armis aggreditur & ſedibus deturbat. Cauſa enim prohibiti inter Iſraelitas & Cananæos matrimonii non ſola diverſitas Religionis falſusve cultus erant, ſed imprimis divinæ vindictæ propoſitum, extremam Cananæorum malitiam ac deſperatam pravitatem univerſæ gentis exciſione ulciſcendi. Quæ cum ita ſint, relictis legum tam Civilium, quam Canonicarum placitis, quæ §. *10.* expoſita ſunt, rectius hodie quidem cavetur, ne Orthodoxi Heterodoxis mutuis connubiis jungantur, matrimonia tamen inter ipſos adverſus leges humanas actu contracta non dirimuntur. vid. *Cypr. de ſponſ. c. 13. §. 77.*

§. 12. Redeamus ad nuptiarum legitime perfectarum diſſolutionem, & videamus paucis, quid de ea Canones decreverint, qua fini quædam ipſorum hypotheſes de matrimonio ſunt repetendæ. Matrimonium ergo infidelium à conjugio fidelium Pontificii ſic ſeparant, ut illud habeant pro nudo contractu, hoc pro Sacramento ſeu ſymbolo rei ſacræ, cui juncta ſit gratiæ promiſſio. Inde nuptias infidelium dicunt veras ſed non ratas, fidelium autem & veras & ratas; i.e. iſtas ſolvi certis caſibus poſſe, has nunquam. Sicuti enim Sacramentorum, qualia Papiſtæ enumerant, pleraque (ac imprimis Sacramentum fidei ſeu Baptiſmus) characterem quendam indelebilem juxta ipſos homini imprimunt; ita conjugii quoque Sacramentum dicunt aboleri ſemel admiſſum non poſſe, ſed à Sacramento fidei ſic ratum reddi, ut ipſo durante perpetuo duret, *c.un. de vot. & v. redd. c.f.* §. *item aliud, 28. qv.1.* Ex his infertur infidelium conjugum uno ad veram religionem transeunte, matrimonium inter ipſos initum ſic ſolvi poſſe, ut fideli ad ſecunda vota convolare ſit integrum. Ita definit *c. quanto §. ſi enim alter X. de divort. conf. 29. q. 2. c.f.* Sed Apoſtaſiæ nullum genus juxta ea principia matrimonii vinculum, quo olim fideles jungebantur, rumpit, manente quippe cum charactere Baptiſmi ſemel ſuſcepti nota quadam & veluti veſtigio indelebili Sacramenti Conjugii. Sic expreſſe ſtatuit *c.un. de vot. & v. red. c. quanto X. de div.* Intelligendum tamen id eſt de totali diſſolutione; nam thori ſeparationem propter Apoſtaſiam admittit *c. interveniente 32. q. 7.* perinde ut alibi fit propter adulteriũ carnale, cui hoc ſpirituale, ſecuti

cuti

cuti *Tertullianum l.2. ad uxor.* & Patrum alios Canoniſtæ æquiparant, quanquam differentias aliquas inter duplex adulterium Lancellottus de divortiis ex *c. pen. & f. X de adult. c. gaudemus & c. X. f. de converſ. conj.* obſervavit.

§. 13. Veniendum tandem eſt ad leges civiles, ut inquiramus, an per eas Apoſtaſia matrimonii pactum rumpat? Ubi quanquam Generalis Regulæ, quæ per univerſam Tractationem noſtram vagatur, nullus ſit uſus, leges etiam tam naturales, quam divinæ poſitivæ firmas manere nuptias manifeſte velint, utut conjugum alter à fide deſciſcat & in peregrinos cultus migret; tamen lapſum ad Judaiſmum juſtâm & legitimam imo neceſſariam divortii cauſam conſtitui invenimus per ſpecialem modum & rationem prohibendi conjugia Judæorum cum Chriſtianis *l. 6. C. de Jud.* Sive enim ibi matrimonium omne Chriſtiani cum Judæo pro adulterio haberi dicamus, quæ verior ſententia eſt; ſive pœnam tantummodo legis Juliæ corpora ſic miſcentibus impoſitam credamus; licentia non ſolum danda eſt conjugum utrique matrimonii pacto propter unius Apoſtaſiam renunciandi, ſed ita omnino ut faciant, neceſſe eſt, ne pœnam mortis incurrant vel præterea liberos inceſtuoſis ſimiles, non alendos, ſucceſſionis beneficio ex ſe, nullo habito ad religionis profeſſionem reſpectu, incapaces progenerent. Qvum autem iſta divortia naturalibus & divinis præceptis repugnare oſtenſum ſit, ideo merito lex ſæpius allegata in deſuetudinem abiit noſtrisque moribus exolevit notante *Simone à Grœnewegen de leg abr. ad h. l.* & *Weſenbecio parat. ad Dig. de R. N, in fine.* Obiter autem non

pos-

poſſumus quin obſervemus, falli *Menochium*, quando hanc legem Bononiæ tunc ſublatam fuiſſe ſcribit, cum Judæi à Pontifice recepti fuere cives, *de arbitr. Jud. l. 2. c. 286.* Nam & olim, tempore latæ primum legis iſtius, Romanæ Reipublicæ cives erant

§. 14. Abſolutis, quæ ad Societates ſimplices & privatas pertinent, proximum eſt, ut progrediamur ad Societatem civilem & inquiramus, quid circa Statum in Republica defectio à fide mutet. Hæreticos quidem generatim lex Romana civium numero non eximit, præter paucos, quos aliquando contigit propter ſpeciales rationes, de quibus ſupra diximus, deportatione mulctari. Potius exinde, quod oneribus per leges civiles ſubjiciuntur, dignitatum vero honorumque quos alias expectare poterant, ſpe privantur, ſatis apparet, ipſos inter cives computari. De Gentilibus idem ſtatui Codicis Juſtinianæi decreta poſtulant. De Judæis res minus adhuc dubii habet, poſtquam conſtat ipſos & olim in Imperio Romano toleratos, ac longe mitius tractatos fuiſſe, quam Hæreticos, & hodie in Chriſtiana Republica auctoritate Summorum Imperantium paſſim recipi, conf. *l. 10. & 19. C. de Jud.* & vid. *Mynſing. cent. V. obſ. 3. Rol. à Valle v. 2. c. 35. n. 38.* Interim iſtorum omnium haud paulo deterior eſt, quam aliorum civium communis conditio. Principio enim Hæretici privilegiis omnibus, quæ Religionis intuitu vel perſonis ſingulorum, vel certæ civium ſpeciei data ſunt, carent, quod in ipſis ceſſet privilegii ratio, favor ſcilicet religionis, uti legem *1. C. de Hær.* eloquitur & explicat *Brunnemannus in Comm. ad Cod.* Sed & aliis immunitatibus & privilegiis ex publicæ rei cauſa

inven-

inventis per Authenticam *Item Privilegium d. t.* deſti tuuntur, quia juſtum non eſt æqualibus cum Orthodoxis Hæreticos dignos fieri privilegiis, uti ſcribit Imperator *nov. 109. c. 1.* unde allegata authentica deprompta eſt. Qua generali ratione nixi Doctores omnia Juris beneficia, quibus Orthodoxi vulgo fruuntur, Hæreticis denegant vid. inprimis *Joh. à Rojas ſingul. 81. & 129. num. 4. 136. num. 2.* Utrum vero iſta æque ad Judæos pertineant, dubitandi non exigua cauſa eſt? Sane ratio ſtatuto privilegia Hæreticis deneganti adjecta Judæos Hæreticis exæquari ſuadet. Sed viciſſim pro his facit, quod expreſſe nullibi inter ſanctiones jura ipſorum deſcribentes privilegia Civium reliquo ordini indulta Judæis auferantur, quo argumento alias etiam teſtamenti factionem Judæis vulgo aſſerimus, quia videlicet à communi Heterodoxorum conditione excepti intelliguntur, dum ſumma Autoritas ipſos tolerari in Civitate juſſit. Alii temperamentum quærentes ac media velut via ituri privilegiis Judæum contra Chriſtianum ſe non tueri, recte autem adverſus alios Judæos uti exiſtimant, ita *Benckendorf. apud Wurmſerum Jur. controv. l. 1. tit. 9. num. 16. & 17.* Verius tamen ex mente legum Civilium propter rationem allegatam privilegia civibus indulta Judæis competere ſtatuimus, modo non ſint talia, quæ ad ſolos Orthodoxos vel ex natura ſua vel ex manifeſta voluntate concedentis pertineant, de quibus loqui videtur *l. 1. C. de Hær.* Iſta enim ad Heterodoxos adeo ſe non extendunt, ut ne illis quidem concedi poſſint, qui Heterodoxi politice non ſunt, ſed quoad jura in civitate Orthodoxis æquiparantur, conf. *§. 14. cap. 1.*

§. 15. Ut

§. 15. Ut vero ad Apoſtatas veniamus; quibus juribus Heterodoxi ex legum civilium ſententia capaces non ſunt, illis Apoſtatæ per crimen deſertæ religionis excidunt, nec fere quicquam hic occurrit, quod prolixam diſquiſitionem mereatur. Si mulier dotem è rebus mariti repetens juxta privilegium *l. 12. C. qui potiores.* prioribus creditoribus antepoſita ſit, & poſt latam ſententiam Religionis caſtra vertat, quæritur an ſolutionem è ſententia petens exceptione removeri à Creditoribus poſſit? Hic vero uſum exerit, quod ſuperiori capite aſſeruimus, Heterodoxum occultum & mentalem aliquando recte puniri, ita ſcilicet ut poſtquam manifeſtatum fuerit ipſius crimen, pœnæ initium fiat ab eo tempore, quo falſam doctrinam animo concepit. Nam ſi è confeſſione mulieris haberi queat, ipſam heterodoxa ſuperſtitione jam tum inquinatam fuiſſe, cum ſententia de dote aliis debitis præponenda pronunciaretur, ſententia iſta ipſo jure nulla erit, adeoque licebit Creditoribus antiquioris Hypothecæ jus perſequi. Sed ſi non conſtet mulierem tempore latæ ſententiæ Hæreticam fuiſſe, vix habebunt creditores, quo valide nitantur. Neque enim leges Orthodoxis ad Hæreſin declinantibus privilegia aliter auferunt, quam in futurum; ſecus ſumma negotiorum confuſio oriretur litiumque immenſus ſe campus aperiret. Similes quæſtiones de SCto Velleiano & Macedoniano aliisque beneficiis formari quamplures poterunt, quibus tamen reſponſionem non difficile eſt invenire.

§. 16. Illud hic evolvere juvat, an mulieris, quæ vivente Marito deſciverat à fide, liberi orthodoxi

jure

jure prælationis in repetenda dote, & an exceptione SCti Velleiani adverſus creditores gaudeant? Enimvero vulgata regula eſt neminem plus juris ad alium transferre poſſe, quam ipſe habuerit *l. 54. ff. de div. R. I.* Unde ſatis perſpicue colligi videtur, mulieris nomine & loco exceptionem opponi non poſſe, quam illa allegatura non erat. Sed primo liberi mulieris, quæ deſcivit, jus quoddam gaudendi dotis & SCti privilegio tunc, cum Mater adhuc orthodoxa eſſet, acquiſiviſſe concipiuntur, adeoque licet mulier jam eo beneficio exciderit, liberos tamen eodem frui conſentaneum eſt, idq; non tam mulieris quam ſuo quodam jure & nomine: Aliter forſan pronunciandum eſſet de liberis mulieris, quæ ſemper Hæretica fuit, atque ſic prælatione dotis & exceptione SCti nunquam gaviſa. Deinde vero parentum hæreticorum liberos orthodoxos ſingulari favore leges proſequuntur, uti docent *l. 12. 13 & ſeq. C. de Hær.* Et *l. 19. d. t.* poſtquam eosdem ſolos, aliis ſcilicet liberis hæreticis, ſi adſint, excluſis, ad ſucceſſionem parentum vocandos & donationum aliarumque liberalitatum capaces declaravit; liberos paternam impiam affectionem ſecutos ab omni beneficio repellendos dictitat: unde licet à contrario ſenſu concludere liberos orthodoxos beneficiis frui. Intelliguntur autem per beneficia juxta communem Doctorum explicationem privilegia, quibus una aut altera civium pars gaudet, & nominatur expreſſe privilegium dotis à *Dion. Godofr.* ad iſtam legem.

§. 17. Ad jus & conditionem perſonæ in ſtatu civili pertinet quod in negotiis peragendis alicujus

 teſtimo-

teſtimonium vel ut ſolennitatibus à lege præſcriptis ſatisfiat, vel ut de negotio peracto conſtet, admittitur. Heterodoxi tamen omnes certis tantummodo caſibus teſtes eſſe poſſunt, nec in paucis autoritatem ipſorum penitus rejectam comperimus vid. *l. 21. C. de Hær.* Hinc ſequitur quidem, Apoſtatas facultatem dicendi teſtimonium per tantum crimen amittere; ſed cum nulla peculiaris negotiorum præteritorum mutatio accidat & Apoſtatæ omnino non aliter, quam Heterodoxorum reliqui ad teſtimonium poſtea dicendum non admittantur, prolixioribus hic eſſe inſtituti rationem ſecuturis non licet. Teſtis nimirum conditio ſolo teſtimonii tempore conſideratur, arg. *l. 22. §. 1. ff de teſtam. ordin.*

§. *18.* Porro haud poſtremum eſt inter jura Civium, quod ſunt munerum & honorum in Civitate capaces. Sed iſto civium axiomate & ſpe honorum publicorum per leges Romanas privati inveniuntur omnes Heterodoxi tam Judæi & Gentiles, quam Hæretici. Ubi tamen illico obſervandum eſt, cum non paucis Reipublicæ officiis plus oneris quam honoris adeſſe ſoleat, & cumprimis priſca Romani Imperii forma multa habuerit munera civilia, quæ & corporalis laboris intentione & ſumtibus patrimonii damniſque adminiſtrantis expedirentur *l. 1. §. 3. l. 18. § 1. & 18. ff. de muneribus & honoribus*, proſpectum jam pridem fuiſſe, ne Heterodoxis pœnam ſtatuendo contumelioſo ambitu immunitatis beneficium viderentur Principes præbuiſſe, uti loquitur *l 7. C. de hær.* Proinde cujuscunque quis ſectæ ſit, curiæ obnoxium permanere & oneroſis officiis facultatum & perſonalium munerum

con-

conſtringi ſanxerunt. Sic ergo cum diſtinctius inveſtigare lubet, á quibus officiis Heterodoxi propter ſuperſtitionem cultusque divini commaculationem arceantur, optime utemur rationibus, quæ legibus de Heterodoxorum excluſione adjiciuntur, & conferemus *l.1. & l.7.C. de Hær.* quæ ſubjici curialibus aliisque muneribus Judæos & Hæreticos jubent. Primum ideo Magiſtratum gerere, jus dicere, defenſores aut Patres Civitatum fieri Heterodoxi omnes prohibentur, ne ſi iſtis officiis admoti fuerint, poteſtatem habeant vexandi Chriſtianos, *l.12. C. de hær.* Unde licet regulam efformare: *Quodcunque officium & quæcunque dignitas largitur facultatem Orthodoxis nocendi, ad ea Heterodoxus evehendus non eſt.* Deinde quando denegatur militandi in Palatio jus omnibus Heterodoxis, *l. 8. C. de hær.* quare factum id ſit, ſiquidem qui ad militiam adſpiraverint, non illico auctoritatem aliquam conſecuti ad Orthodoxos opprimendos videntur, diſcimus ab Honorio *Theod. Codic. l. 42. de Hær.* *Nullus ſit*, inquiente, *nobis aliqua ratione conjunctus, qui à nobis fide & religione diſcordat.* Unde ſurgit alia propoſitio: *Quæcunque dignitas Heterodoxum perſonæ Principis orthodoxi propius admovet, vel etiam civibus orthodoxis jungit & honeſtorum hominum communioni (l 8. §. 4 C. de hær.) inſerit, quamvis nullam tribuat in alios poteſtatem & onere non vacet; ab ea Heterodoxus excluditur* His adjici tertium axioma generale poteſt: *Quæcunque dignitas onere & incommodo omni caret, ea Heterodoxis deneganda eſt.* Et quartum; *Quodcunque munus nec onere nec honore carens, fide & integritate adminiſtrantis potiſſimum nititur, illud*

Heterodoxo credendum non eſt; Quoniam videlicet in eo qui religionem fefellit, fides & integritas fruſtra requiritur, certe præſumi non ſolet. Viciſſim in quocunque munere plus reperitur oneris quam honoris, eo conſtringendum & puniendum eſſe Heterodoxum, concluſio eſt ex antedictis fluens, quam tamen ſic limitare oportet, ut intelligatur de tali munere, quod nec tribuit inſignem poteſtatem vel in magnam civium partem vel in certas ſolummodo perſonas orthodoxæ religioni addictas, nec fidem adminiſtrantis exigit.

§. 19. Ita dubitandum quidem non eſt, Tutelæ munere publico Judæum aut Hæreticum quemvis fungi, modo pupillus pariter Judæus ſit aut Hæreticus, quoniam immunitatem ab onere, quod lubentiſſime omnes declinant, Heterodoxia non tribuit. Sed puero Chriſtiano non poſſe Judæum Tutorem dari ideo vulgo affirmamus, quoniam verendum eſt, ne Judæo poteſtate illa, qua tutor in caput liberum pollet, abutente, pupillus periculum animæ ſubeat. Cui tamen difficultati occurri poſſe arbitrantur non pauci cum *Jacob. Rebuffo ad l. 50. C. de Decur.* ſi non apud Judæum Chriſtianus moretur, ſed alii Chriſtiano credatur educandus. Atque hanc mentem fuiſſe *l 15. §. 6. de Excuſat.* exiſtimant, quæ diſerte videtur affirmare Judæos Chriſtianorum Tutores eſſe poſſe. Enimvero quamvis hac ratione periculum corrumpendæ religionis & fidei evaneſcat, nec inſuetum ſit, pupillum apud Tutorem non ali, *l. 1. §. 1. ff. ubi pup. educ.* & *l 2. C. eod.* metuenda tamen adhuc eſt Judæorum pravitas, rebus & perſonæ pupilli quoquo modo nocitura adeoque exiſtimamus munus tutelæ deferendum

dicto

dicto caſu Judæo aut Heterodoxo cuivis non eſſe non ſolum propter metum ſeductionis, verum etiam quia illud munus fidem & integritatem adminiſtrantis peculiariter requirit: Poterit forte hoc incommodum ex reliqua etiam parte tolli, ſi vel Magiſtratus attentior ſit cura & inſpectio, vel Judæo Tutori alii jungantur Contutores Chriſtiani. At breviori atque procul dubio tutiori via incedimus, ſi generalem legum rationem ad ſpecialia applicantes, tutelam pupilli Chriſtiani Judæo in univerſum denegamus. Quod *l.15, §.6. ff. de Excuſ.* dicitur, Judæos non Judæorum tutores eſſe, id ita explicari debet, ut vocabulum non Judæorum capiatur de his qui Orthodoxi non ſunt, neque tamen etiam Judaicæ ſectæ placita ſequuntur. Parum nimirum ſolicitus eſt Legislator orthodoxus de pupillo Manichæa v.g. ſuperſtitione inquinato, ut is in hac potius perſiſtat, quam ad aliam tranſeat, (quanquam aliquando cujuscunque ſectæ mancipiorum poſſeſſionem leges Judæis interdixiſſe viderimus, ne horum numerus nimium in detrimentum Reipublicæ augeretur,) adeoque periculum ſeductionis, quod præcipue tutelam Judæo & Heterodoxo cuivis denegat, tunc non attenditur. Jam ſi dicta lex tanquam à Gentilibus lata ſpectatur, comprehendit ſane nomen non Judæorum ipſos etiam Chriſtianos; ſed hodie hactenus eſt abrogata, ut ſuccedentibus in locum Gentilium Legislatoribus Chriſtianis, non Judæorum titulus his competat, qui Chriſtiani & Orthodoxi non ſunt. Ita exponendam puto ſententiam *Majeri in Coll. Arg. de Exc. Tut. §.18. n.4.* & aliorum, quos ille ibidem enumerat.

§.20. Si

§. 20. Si Judæus, ut oſtenſum hactenus eſt, Chriſtiani Tutor eſſe non poteſt, ſequitur Apoſtaſiam pertinere ad Tutelæ finiendæ modos. Quo pacto, ubi Chriſtianus Tutor ad Judaiſmum defecerit, alius erit iſti magiſtratus autoritate ſubſtituendus. Sunt equidem nonnullæ excuſationes ab onere tutelæ, quæ à ſuſcipienda liberant, ſuſceptam vero non tollunt; At Infidelitas & Hæreſis ad neceſſarias pertinent, quæ ad ſalutem pupilli & Reipublicæ commodum promovendum comparatæ ſuſceptam quoque adimunt. Poterant ad exemplum Tutelæ regulæ, quas §. *10* propoſuimus, ſufficere ad inveniendum, qualia Hæreticis officia credi non debeant, & qualibus adeo per Apoſtaſiam quis privetur; placet tamen de primo in Civitate munere diſtinctius, ſed quam pauciſſimis, exponere.

§. 21. Sicuti Majeſtatis nomine in Republica ſummum & honoris & potentiæ faſtigium exprimi nemo ignorat; ita unusquisque intelligit juxta regulas civiles antea declaratas Imperii faſces ad Heterodoxum deferri non debere Equidem falſa de ſupremo Numine perſuaſio nominẽ accurate loquendo ineptum reddit ad imperandum, (quamvis negari non debeat, qui veri cultus doctrina imbutus eſt, eum ad regendos populos magis eſſe idoneum,) & ſic filius heterodoxus regno paterno per alienæ Religionis profeſſionem neceſſario non excidit, nec electio Principis Heterodoxi ipſo jure nulla eſt, multo minus lapſus in Hæreſin aut Infidelitatem jus facit Imperantem dejiciendi de throno. Sed ubi legum civilium autoritas viget, vel ut rectius dicamus, quia leges civiles Principem ordinarie non ligant, ubi legum civilium antea declarata ſenten-

tia

tia ſtatuta Regni fundamentalia dictitavit, quæ ſolos Orthodoxos diademate ornari jubent, ibi Heterodoxus eligi ſalvis ſtatutis non poteſt, & ſucceſſionis regiæ commodum per ſuperſtitionem amittitur. Neque dubitandum eſt, eo caſu, ſi Princeps ſub Regiminis primordia Orthodoxus poſtmodum ad Hæreſin vel Infidelitatem tranſeat, faſces Imperii ab ipſo recte avocari, quoniam à conſtantia fidei & religionis tanquam à conditione obſequium cives ſuſpendiſſe intelliguntur. Quod evidentius eſt, ſi ſub lege commiſſoria expreſſa Imperium delatum fuerit, cui ſimile quid olim apud Sabæos, Aragonios & aliquando apud Romanos factum è Diodoro, Xiphilino, & Hottomanno *Puſendorffius* memorat, *J.N. l 7. c. 6. §. 10.* Requiritur ſaltem leges fundamentales in aliquo Imperio ſolos Orthodoxos ad regimen vocare, Heterodoxos nominatim arcere, & has leges ſpeciali promiſſo vel capitulatione Principis confirmatas eſſe. Secus enim, & ſi tantum indirecte hujusmodi quid factum ſit, potius conſilium de Electione caute inſtituenda videbitur, quam jus Monarchiam limitatam efficiens.

§. 22. Hinc apparet, quid reſpondendum ſit, cum quæritur, an auguſtiſſimum Imperii Germanici caput propter Apoſtaſiam poſſit ſacro diademate nudari? Sane Aureæ Bullæ ſanctiones dum Regem Romanum populi Chriſtiani & Eccleſiæ Defenſorem paſſim vocant, Religione Chriſtianum eſſe debere innuunt. Nam qui extra Eccleſiam eſt, eam potius averſatur, nec de auxilio oppreſſæ ferendo ſolicitus eſſe præſumitur. Porro & Capitulationibus ſpondere Imperatores ſolent, ſe fore Chriſtianæ rei & Ec-

cleſiæ advocatos ſeduloque ſtudio veram Religionem protecturos, *art 1. Capitul. Caroli V. Ferd. I. Max. II. Rud. II. & Leop Imperator. invictiſs.* Capitulationis autem promiſſis non ſtantes removeri poſſe turba Politicorum exiſtimat, quoniam tacite hæc conditio capitulationi vi contractus ineſt, ut tamdiu Imperatores maneant, quamdiu quales ſe promiſerint, tales ſe præſtiterint, uti loquitur *Limnæus ad Capit. prolegom. Sect 10. n. 9.* Hæc quanquam in ſpeciem ſatis bene dicta ſint, & negari, quicquid alii tergiverſentur, Imperii Germanici forma non patiatur, Imperatorem violatæ fidei reum fieri, ac deponi poſſe; tamen Apoſtaſiam, cujuscunq; ſit generis, non cenſemus inter cauſas legitimæ depoſitionis recte referri. Neque enim nominatim vel in Aurea Bulla vel in Capitulationibus cautum reperimus, Imperatorem debere eſſe Chriſtianum, neque omnino Hæreſis aut Infidelitas Capitulationis ullum articulum per ſe & ſimpliciter lædit. Poterit Imperator quantumvis Hæreticus aut Infidelis adhuc ſe Eccleſiæ Chriſtianæ & Orthoxæ defenſorem & advocatum gerere; id quod apud nos minorum Eccleſiarum & particularium cœtuum exemplo evidens eſt. Quousque ergo Imperator Eccleſiam nec callidis machinationibus ſubverti patitur nec manifeſta vi opprimit, alias datam non negligit fidem, nec ipſum ſocietatis civilis vinculum diſrumpere conatur, quæ verba ſunt *Reinkingii de reg. ſec. & eccl. l. 1, cl. 25. 2. n. 189.* de ſolio ſummus orbis princeps deturbandus haud eſt, quum deſerta fide falſo cultui adhærere, incipit. De electione autem Imperatoris Romani verum eſt quod ſcribit *Limnæus ad A. B. c. 2.*

§. 2.

§. 2. obſ. 17. quoniam à Chriſtianis Imperator eligitur, ut Chriſtiani populi caput ſit & Eccleſiæ Chriſtianæ defenſor, incredibile eſſe Electores alium quam Chriſtianum electuros & corpori ſancto caput disſimile daturos.

§. 23. Ad munera publica noſtrorum ſaltem temporum uſu pertinent officia ſacra, quibus miniſtri Eccleſiæ docendo & adminiſtrando funguntur. Hæret enim Eccleſia, ut verior Lutheranorum ſententia docet, in Reipublicæ ſinu, atque ita, qui iſti præſunt, eos partem Reipubl. eamque nobiliſſimam colere affirmamus. Eſt autem doctrinæ ratio & receptæ fidei ſenſus de talium officiorum natura, ut qui à cultus approbati principiis genuinis in errores declinant, ipſo jure deſinant eſſe Eccleſiæ miniſtri. Vocantur ſcilicet eum in finem, ut dogmata præſcripta publice explicent ac proponant. Quamprimum ergo à norma abeuntes falſarum opinionum veneno cœtum ſibi creditum inquinant, ſive craſſiori Apoſtaſia ad Judæorum aut Gentilium caſtra tranſeant, ſive ſubtiliori Hæreticis, quorum nomina & ſectæ pridem innotuerunt, ſe jungant, ſive denique nova monſtra ſententiarum fundamentales fidei articulos evertentium excogitent, (quod & ipſum Apoſtaſia ſenſu antehac declarato dici poterit,) munere ſacro & iſti annexo honore illico cadunt. Solet tamen hoc caſu Judicis factum ſic intervenire, ut primum cognoſcatur an verum ſit, abiiſſe ipſos à fide, quam profeſſi antea fuerant, & an pertinaci propoſito non ex imprudentia aut imbecillitate peccent? quin & eo nomine indulgeri ſpatium reſipiſcendi conſuevit, ne de præcipitis ſententiæ rigore conqueri valeant. Ita annis

abhinc quatuor aut quinq; Conſiſtorium Lipſienſe Martinum Richterum paſtorem quondam Büchlenſem in Thuringia de Fanaticis erroribus deponendis ſæpius admonitum primo ab officii ſacri exercitio ſuſpendit, poſt vero eccleſiaſtico munere plane exuit.

§. 24. Cum functionibus ſacris optime connectuntur beneficia Eccleſiaſtica, quibus ut indignus eſt & ineptus omnis Heterodoxus, ſic Apoſtata merito privatur. Intelliguntur autem iſta ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, ac proinde pede inoffenſo ad alia progredimur ablegato lectore ad *Farinacium* & *Decianum l. all.*

CAPUT TERTIUM.

De Jure Apoſtatarum quantum ad res & actiones.

§. 1.

Vidimus Jura perſonarum per Apoſtaſiam immutata. Veniendum nunc eſt ad Jura rerum, ut conſtet quid circa illa idem Apoſtaſiæ crimen efficiat. Quoad Jus in re obſervabimus nonnulla de Dominii in ſpecie ſic dicti cum acquiſitione tum retentione, unde reliqua intelligentur; poſtmodum paucis de Jure ad rem agemus. Quantum ad acquiſitionem Dominii attinet, illuſtriſſimos capiendi titulos Hæreticis lege civili interdictos invenimus. Præterquam enim quod contrahendi & per contractum acquirendi poteſtas

teſtas ipſis ablata eſt, qua de re §. 12. plura dicturi ſumus, paſſim etiam declaratur, non Manichæos ſolum, ſed & alios falſæ doctrinæ propugnatores omnis liberalitatis incapaces eſſe h. e. nec donatione quicquam conſequi nec capere poſſe ex teſtamento, aut ſuccedere ab inteſtato *l. 4. & auth. Gazaros C. de Hær.* Itaque & inter juſtas cauſas exheredationis numeratur Hæreſis & ſi à patre catholicæ fidei filium ſectarium heredem inſtitui contigerit, illum nihilominus ſuccedere non debere traditur *Nov. 115 c. 3. §. 14. in verbis: Generalem autem &c.* ut adeo falſi & erronei cultus profeſſio factum Patris filium ab hereditate removentis non tantummodo approbet ſed intermiſſum ſic ſuppleat, ut quanquam Hæretico relicta ſit in teſtamento paterno portio legitima, eidem tamen tanquam incapaci adimatur & tribuatur fratribus orthodoxis. Quod extraneos attinet, ſi Hæreticum quis heredem ſcripſerit, hereditas in ea cauſa ea, in qua eſſet, ſi ſcriptus non fuiſſet, quemadmodum loquitur de deportatis *l. 1. C. de her. inſtit.* Et tum quidem ipſa etiam legata & fideicommiſſa corruunt per regulem generalem quam è *l. 17. ff de inj. rupt. l. 1. C. de poſth. her. coll. l. 2. ff. de pec. leg. l. 129. §. 1. ff. de. R. J.* Doctores efformarûnt. Niſi conſtiterit teſtatorem neſciviſſe, à ſe incapacem nominatum; Iſto enim caſu æquitati magis conſentaneum videtur legata valere, & forte ita intelligi debent *Bartolus & Gloſſa apud Capram Reg. 111. n. 54.* Aliter quoque pronunciandum eſſe, ſi quis coheredes fecerit, aut unum ſubſtituerit alteri, quivis animadvertit. Legata denique Hæretico relicta pro non ſcriptis reputari arg. *l. 3. ff. de his, quæ*

 pro

pro.non ſcript. & coll. *l. 4. 5. & auth. Gazarus C. de Hæret.* manifeſte conſtat.

§. 2. Iſthæc omnia ad Apoſtatas non tantum vi regulæ qua ſæpius uſi ſumus, verum etiam per expreſſa legum verba pertinent *l. 3. & 4. C. de Apoſt.* ita quidem, ut quamvis ſucceſſiones & donationes actu ipſo in Apoſtatas, quum adhuc intra Eccleſiæ ſinum hærerent, atque genuina Deum ratione colerent, derivatæ tanquam negotia plane & omni modo perfecta non reſcindantur, donationes tamen, ſi quæ promiſſæ fuerint, itemque teſtamenta, quæ in favorem Apoſtatarum ante ipſorum defectionem condi, morte autem teſtatoris nondum confirmari contigit, irrita fiant, ac nullum inde emolumentum ad Apoſtatas ipſorumve ſucceſſores redundet. Cæterum hic duplex potiſſimum diverſitas eſt inter Apoſtatas & Heterodoxos. Primo teſtamentum nominans Apoſtatam, qui tempore conditæ voluntatis Orthodoxus erat, per hujus reditum ad veritatem, unde diſceſſerat, denuo confirmatur; teſtamentum autem inſtituens Hæreticum nunquam convaleſcit, de quo diſcrimine in caſu ſimili paulo poſt iterum agam. Deinde è teſtamento propter Apoſtaſiam heredis irrito æquius eſt legata valere, quoniam teſtatorem de iſto crimine non reſciviſſe præſumitur; de teſtamento Hæreticum inſtituente ut idem dicatur, probandum eſt, teſtatorem ignoraſſe conditionem futuri ſibi heredis. Huc potiſſimum referenda ſunt, quæ leguntur *ex Bartolo & Gloſſa apud Capram l. all. §. præc.*

§. 3. Quoad Retentionem earum rerum, quarum Dominium Hæreticus ſemel acquiſivit *l. 4. &*

auth.

autb. Gaz. C. de Hær. ut & *c. vergentis. §. 1. X. de Hær.* Manichæorum, Arianorum aliorumque Hæreticorum bona publicari jubent. Quum autem in publicatione ordinarie non veniant bona futura, ſed ea ſola quæ quis tempore criminis primum commiſſi poſſidebat *l. 22. §. 5. ff. Mandati. l. 4 C. de Jur. fiſci*, & pro bonis tamen futuris eadem militet ratio, quæ confiſcari bona antea acquiſita dictitat; ideoque colligunt Doctores bona quidem futura & ea ipſa, quæ ab Hæretico à die commiſſi delicti citra usque ad ſententiam parta ſunt, non venire in confiſcatione; fiſcum vero ipſa ab Hæretico auferre tanquam ab indigno: *Farin. q. 190. §. 1. num. 25.* Quo pacto dicendum erit Hæretici poſſeſſiones partem publicari, partim ipſi ut indigno auferri.

§. 4. Sed ſatis evidens eſt, quæ ita diſſeruntur, ad homines pertinere, qui cum Orthodoxi eſſent à fide vera ad errores deſciverunt, non quadrare in eos, qui intra civitatem Hæretici nati ſunt, vel ex Infidelium caſtris tranſierunt ad Hæreticos. Nam talium bona confiſcari eo ſenſu, quo Doctores confiſcationem accipere vidimus non poſſunt, ſiquidem tempus ante crimen Hæreſis vel Heterodoxiæ, quod terminus alter eſt confiſcationis, in ipſis non datur.

§. 5. Equidem Farinacii ſubtilitatem nos haudquaquam moramur, quippe cui facile ſatisfit, ſi repetamus è §. 15. c. 1. Hæreſis crimen peculiaris diſtinctæque naturæ eſſe, non tranſitivum, ut ſunt alia, ſed permanens. Quemadmodum enim olim, ſi cui ob perpetratum crimen bona fuiſſent ablata, & ipſe poſt ſententiam rediiſſet ad idem facinus, fiſcus novo ju-

dicio

dicio bona poſt finitum primum crimen quæſita adimebat; ita reſponderi ad difficultatem à nominato Doctore objectam poſſet, ob crimen Hæreſis quousque per pœnitentiam quis non ſurrexerit, confiſcationem bonorum ſæpius iterari, ſic ut in ſequenti confiſcatione ſemper bona poſt tempus præcedentis quæſita veniant. Interim tamen bonorum confiſcationem rectius ob Hæreſin aut Heterodoxiam fieri negamus, & hanc pœnam ſolis iis ex omni errantium in fide cœtu irrogari credimus, qui veritatem cum falſitate permutant, de quo proinde hominum genere *l. 4. & auth. Gazaros C de Hæret.* accipiendæ erunt. Suppoſito enim vigore legum in Heterodoxos latarum, hi nullius rei neq; per ſucceſſionem neq; per donationem ab aliis liberaliter factam, imo nec per titulos onerosos nanciſci poſſeſſionem valent, ac proinde nunquam fere habebunt, quod ipſis auferatur. Donationes remittunt propter incapacitatem ſuam ad donantes, hereditates ad eos qui veniunt ab inteſtato, juxta *l. 1. C. de Her. inſt. & l. 3. ff. de his, quæ pro non.* vid. Joh. de Anania, Felinus, Simancha, & alii apud *Farinacium q. 180. §. 7. num. 102.* Si quando vero contingit donationem aut hereditatem, quas quis ſcienter in Hæreticum derivavit, à Fiſco capi, in pœnam donantis aut inſtituentis illud fit, adeoque Fiſcus non tam ab Hæretico, quam à Donante & Teſtatore res donatas & per Teſtamentum relictas acquirit, uti explicat *Azorius Inſt. Mor. p. 1. l. 8. c. 12. qu. 8.*

§. 6. Apoſtatarum autem bona unicuique patet proprie loquendo publicari & ad fiſcum pertinere ex eo tempore, quo quis à vera Religione deſciſcit, quan-

quam

quam apprehenſio bonorum fieri juxta communem ſententiam non poſſit, priusquam per Judicem declaratum vel alias notorium ſit, hunc hominem commiſiſſe crimen, quod tam ſevere puniri mereatur. Diſtinctius autem confiſcationis illius rationem evolvere, ac quo pacto emphyteuſis & feudum propter Apoſtaſiam auferantur, declarare hic non opus fuerit, ſiquidem illa omnia è generali confiſcationis natura abunde intelliguntur. Interim videri poſſunt *Ambr. de Vign. de Hær. qu. 21. Siman. Cath. Inſ. t. 9. n. 8. Gundiß. Carer. & alii quos exhibet Tractatus Tract. T. XI. part. II.* Pugna etiam *l. 1. C de Apoſt.* cum *l. 4. d. l.* moram nunc non injicit, in qua tollenda cæteroquin haud parum ſudant Interpretes. Fruſtra ſane de illarum conciliatione cogitari inde patet, quoniam evidens eſt, diverſos legum latores varie fuiſſe animatos, & Valentinianum Juniorem lege quarta ſuſtuliſſe, quod Conſtantius lege prima caverat. Similis ſane error Triboniani leges adverſa fronte concurrentes jungentis paulo ante à nobis notatus fuit.

§. 7. Quamvis vero non omnes Heterodoxos liberalitatum & ſucceſſionum incapaces lex civilis declararit, omnibus etiam acquirendi & contrahendi jus non ademerit, ſicuti imprimis conſtat exemplo Judæorum, in quos & donatione & teſtamento res transferri per jura civilia poſſe expeditum eſt, licet de univerſo collegio ſecus ſtatuat *l. 1. C. de Jud.* tamen Apoſtatas ad quamcunque ſectam tranſiverint confiſcatione bonorum mulctari tum è *l. 4 & auth. Gaz. C. de Hær.* ante allegatis conſtat, tum non levi argumento probatur è *l. 1. C. de Apoſt.* quæ Orthodoxis ad Judæorum ſectam deficientibus publicationem bonorum dictitat, cum ipſi Judæi ita duriter habiti non ſint.

I §. 8. Por-

§. 8. Porro autem è negatione proprietatis rerumque Dominii recte colligitur Heterodoxos non poſſe teſtamentum condere. Et cum alias à negata Teſtamenti factione paſſiva ad negationem factionis activæ exemplorum inductio recte colligi oſtendat, quoniam Heterodoxi ſucceſſionis ex teſtamento capaces non ſunt, facile quivis intelligit, Heterodoxos neminem poſſe heredem ſcribere. Iſtæ tamen nec ſolæ nec præcipuæ nec veræ cauſæ ſunt denegati olim juris teſtandi: ſed potius ſicuti deportati accurate loquendo ideo non poſſunt facere teſtamentum, quoniam in numero civium Romanorum eſſe deſierunt, quemadmodum oſtendit *H. Donellus in C. qui teſtamenta facere poſſunt vel non, n. 6. p. 345.* ita Heterodoxi non teſtantur, quoniam utut in civitate manſerint, privilegiis tamen & juribus Romanorum civium carent, quæ inter facultas teſtandi potiſſimo ſemper loco habita fuit; conf. *Jac. Godofr. ad l. 1. de Apoſt. C. Th. p. 354.* Quod autem jam aliquoties factum à nobis eſt, Heterodoxos dum indefinite dicimus, non generatim intelligimus omnes, ſed maximam ipſorum partem. Repetenda enim ſunt ubivis, quæ c. 1. de diſcrepantia legum in puniendis Heterodoxis diſſeruimus. Sic Judæis teſtandi poteſtatem relictam eſſe conſtat, quemadmodum & liberalitatum capaces ſunt. & donare valent, & contrahere quovis modo, *l. [illegible] C. de Judæis.* Hæreticorum vero quorumcunque teſtamenta Jure Can. nulla ſunt arg. *c. excommunicamus 13. §. credentes X. de hæret.* Quæ conſtitutio cum reperiatur in Codicem noſtrum relata, manifeſto eſt argumento, Jus Civile hac parte cum Canonico conſpirare; quo etiam referri poteſt *l. 4. C. de hær.* Neque huic aſſertioni obſtat,

quod

quod *l.13.&19.d.t.* videntur Hæreticis teſtandi facultatem reliquiſſe, dum una jubet ultimam voluntatem Hæretici infirmari, ſi per eam liberi orthodoxi non acceperint indeminutum, quod ipſis competit ab inteſtato; altera apertius declarat, Hæreticum patrem poſſe per teſtamentum inter liberos de ſucceſſione diſponere. Græcarum enim conſtitutionum particulæ illæ vel ita interpretandæ ſunt, ut Hæreticorum vox capiatur de Heterodoxis in genere (ſicuti ſumitur in alia epitome conſtitutionis græcæ, quæ eſt *l.12.C.de Hær.*) & ſic rurſus in ſpecie applicetur ad eos, quibus ex Heterodoxis alias jus per leges civiles integrum eſt teſtandi donandique, quo pacto ſenſus hic erit; Heterodoxos, qui teſtari libere poterunt, quales ſunt Judæi, ſi habuerint filios orthodoxos, qui à Judaiſmo tranſierint ad verum cultum, eos ſic inſtituere debere, ut legitima ipſis portio ſalva relinquatur: Uno verbo; Judæis mutatam fidem non eſſe juſtam & legitimam cauſam liberos exheredandi; teſtamenta quibus ita factum fuerit nulla reputari, ſic tamen ut ſalvæ ſint libertates, quemadmodum Jure noviori eſt conſtitutum, *nov.115.c.3.inf.* Vel ſi maxime antiquiorum legum Hæreticorum bona confiſcantium ipſisque teſtandi facultatem adimentium rigorem Juſtinianus ſic temperare voluit, ut bona pacate poſſidentibus liberos ſcribere liceret, non autem extraneos; iſtam tamen ſanctionem rurſus in Authentica dicta correctam apparet, ut ſaltem hodie Hæreticis teſtari non liceat, ipſiq; adeo quoad hoc etiam caput dum ex una parte civium nomine gaudent, ex altera ſervis merito ſimiles dicantur; conf. *Burſatus conſ.14.n I.p.112.*

§.9. Recte igitur aſſerimus Hæreticorum teſtamenta quæ-

ta quæcunque Jure civili eſſe nulla, unde ſequitur Orthodoxorum ultimas voluntates per Apoſtaſiam infirmari; primo quidem & vi regulæ generalis eorum, qui ad Hæreſin deflectunt;(hos enim melioris eſſe conditionis, quam alios ſectæ addictos, cum gravius peccent, non decet, eſſent vero ſi teſtamenta ipſorum ante defectionem condita valere pergerent:)deinde ex voluntate Principum peculiari etiam illorum, qui ab Eccleſia ſecedentes Judæorum aut Gentilium cœtibus ſe miſcent. Quanquam enim Judæos hac parte civium Romanorum proprio jure uſos fuiſſe pateat, tamen iſto velut privilegio, quod Judæos ab Heterodoxorum communi ſorte excipit, digni non ſunt, qui agnitam ſemel veritatem pedibus proculcant, & Chriſtum rupto ſacramento abnegant. Ita *l.2.3.& 4.C. de Apoſtatis* diſerte ſanciunt, quæ ſane non loquuntur ſolum de iis teſtamentis, quæ poſt defectionem ab Apoſtatis condita ſunt (ſic enim fraudes innumeræ contingere poſſent;) ſed de illis vel maxime, quæ ante commiſſum crimen ſcripta fuerant, quæque ab initio jure ſubſiſtebant. Exemplum furioſi ac ejus, cui interdictum eſt bonis, huc accommodari nequit, ut inde concludatur per Apoſtaſiam non magis ſolvi teſtamentum antea rite perfectum, quam per furorem ſupervenientem, aut ſi teſtator res improvide dilapidans meritus fuerit interdictionem bonorum, §.*1.& 2.J quibus non eſt perm.* Furioſo enim & prodigo ſolum actum teſtandi ſecundum leges denegant; Apoſtatæ vero, perinde ut deportato, etiam actum primum auferunt.

§. 10. Cæterum nullum fere aliud quam nominis & appellationis diſcrimen pœnam Hæretici à pœna Apo-

ſtatarum

ſtatarum quoad teſtamenta ſeparat. Sicuti enim Hæretici ultima voluntas ipſo jure nulla eſt; ita voluntas Apoſtatæ ipſo jure reſcinditur, nec opus hic magis quam illic fuerit ſententia Judicis condemnatoria, per DD. antehac ſæpius allegatos. Et porro ſicuti è teſtamento Hæretici nihil debetur, tum propter regulam generalem, quæ vitiata heredis inſtitutione nihil in teſtamento ſcriptum valere dictitat, *l 1. §. ult ff. de vulg & pup. ſubſt. l. f. C. de Codic. & §. 34. J. de leg.* tum quia eadem prorſus ratio Hæreticum legare vetat, quæ heredis nominationem ipſi aufert; ita teſtamento propter teſtantis Apoſtaſiam rupto fideicommiſſa & legata haud dubie pereunt, quoniam alias jus aliquod de rebus diſponendi relictum Apoſtatis intelligeretur, cui tamen contradicunt *l. 4. 5. & 7. C. de Hær. l. 2. 3. & 4 C. de Apoſt.* Quin & libertas in teſtamento, quod propter defectionem teſtantis irritum fit, data regulariter intercidit, partim quoniam à dicta regula generali nullam hic exceptionem leges faciunt, partim quia dominio mancipiorum per Apoſtaſiam ipſo jure amiſſo effectus dominii ſequi non poteſt. Iſta paulo aliter ſe habent, ſi ſupponimus è legibus Juſtiniani novioribus Hæreticum non poſſe inſtituere extraneum, poſſe autem liberos & parentes; vel non poſſe alios, quam ſolos liberos aut cognatos orthodoxos, ut habet *nov. 115. c. 3. §. 14.* Dabitur enim caſus, quo juxta dictæ novellæ verba finalia teſtamento infirmato legata & fideicommiſſa valeant.

§. 11. Hoc interim juxta ea, quæ §. *24. c. 1.* demonſtravimus, inter teſtamentum ab Apoſtata, quum adhuc Orthodoxus eſſet, factum, & inter teſtamentum Hæretici intereſt, quod prius reconvaleſcit, ſi Apoſtata abje-

cto errore veritatem denuo amplectitur, poſterius nullo tempore valere incipit, ne tunc quidem, ubi ad Orthodoxorum caſtra Hæreticus tranſiverit. Illuc ſpectat jus teſtamenti rupti aut irriti facti, *conf.§.6.J.quibus modis teſt.inf l.6 §.12.ff de injuſto rupt.l.12.eod.* Huc pertinet regula Catoniana, teſtamentum ab initio nullum ex poſt facto validitatem non conſequi, *l.1.ff. de reg. Caton. l.29. & l.pen.ff. de R.J.41.§.2.ff. de legat.1.*

§. 12. Jus ad rem è contractibus proveniens monet ut videamus, quale ſit Apoſtatarum Jus circa contractus. Hæreticum alienare, vendere res ſuas, aut alio quovis modo contrahere leges tam civiles quam canonicæ diſerte prohibent *l. 4. §. 1. C. de Hær. c. Excommunicamus il 1. §. Credentes X. de Hær.* Id quod Doctores ita explicant, ut vendita & per quemcunque contractum ad alium ab Hæretico translata fiſcus revocare poſſit, etiam non reſtituto emtori pretio, niſi id inter Hæretici bona exiſtat, & ab eodem fiſco ſimul ſit occupatum. Quin nec de impenſis in rem ab Hæretico emtam factis fiſcum teneri arbitrantur; ſed potius ab emtore ipſos etiam fructus perceptos recte repeti pronunciant. Hoc tamen tunc demum procul dubio admitti poteſt, quando emtor non ignoravit, quis eſſet, cum quo contraheret; unde adeo fraudandi animum habuiſſe præſumitur, & pœnam improbitatis ac doli merito luit. Cæteroquin enim ſi contractus cum Hæretico initi per leges prius allegatas ipſo jure nulli ſunt, ut communior ſententia apud *Farinacium q. 190. n. 74.* decernit, utraque pars æque priſtinum ſtatum recipit. Et ſane favor ille, qui in contractibus cum minore factis pro iſthoc interpellat, in

contra-

contractibus, quos cum Hæretico Orthodoxus pangit, non Hæreticum, ſed rectius Orthodoxum juvat, modo abſit dolus, de quo dictum eſt, & animus fraudandi fiſcum, ad quem bona Hæretici erant perventura. Hinc Doctorum aliqui apud Decianum *l. 5. c. 44. pract. crim. n. 43.* ſentiunt Hæreticum non poſſe contrahere ut ſibi quæratur, ſed bene ut ipſe obligetur, conf. *Barboſa in Auth Credentes. C. de Hær. n. 3.*

§. 13. Solet incapacitas contrahendi in Hæreticis ſic limitari, ut relinquatur ipſis facultas alienandi in cauſam neceſſariam, vid. *Sanchez in Decalogum l. 2. c. 22. n. 54. & ſeq. & Burſatus T. I. conſ. 14. n. 29.* qui allegant *l. 41. ff. de ſolut. & l. 13. ff. fam. herc.* Sed his & ſimilibus nunc immorari non licet. Ad Apoſtatas ut applicemus dicta, illi non tantum, ex quo Hæretici ſunt, poteſtate contrahendi carent, ſed & quoad contractus eo tempore initos, quo erant Orthodoxi, jure ſuo excidunt. Modo tamen contractus iſti adhuc aliqua ratione pendeant. Nam qui plene ſic perfecti ſunt, ut ex neutra parte obligationi ſatisfaciendum reſtet, eos reſcindendos nulla lex dictitat, quoniam videlicet, ſi ita fieret, confuſio & lites nunquam evitarentur. Diximus autem jure ſuo Apoſtatas quoad contractus præfato modo pendentes privari. Quantum enim ad partem Orthodoxam, reſciſſio contractuum, niſi ipſa volente, non fit. In contractu nimirum Orthodoxi cum Orthodoxo, qui poſtmodum defecit, pro altero interpellat bona fides, alterum damnat dolus, quem de ipſo nefarium crimen contractu inito demum admiſſum præſumi jubet. Huc facit *Auth. Credentes C. de Hær.* quæ neminem vult adigi, ut Hæretico ſuper quocunque negotio

gotio reſpondeat, Hæreticum autem cogit aliis reſpondere. Facit etiam c. *ſ. X. de Hær.* unde Canoniſtæ colligunt, eo ipſo, quod quis religionis ſacramentum deſerit, omnes ejus debitores & quos alias obligatos habet, à quocunque debito & obligatione eſſe liberatos, ut Apoſtata adverſus eos actione amplius experiri nequeat.

§. 14. Sed num hac ratione omnes, qui cum Apoſtata contraxerunt, è contractibus commodum capere, adeoque cum Apoſtatæ damno locupletari dicemus? Sane nec legibus id expreſſum eſt, nec æquitati conveniens, quum iſta ratione fraus fiat illis, ad quos Apoſtatæ hereditas olim vel per ſucceſſionem ab inteſtato, vel per publicationem deferetur. Tacemus colluſionis & doli periculum magnopere metuendum, ſi leges liberationem omnimodam, & lucrum cunctis, qui olim cum Apoſtata contraxiſſent, promitterent. Viciſſim autem ſi ita ſolummodo jure ſuo circa contractus excidunt Apoſtatæ, ut ipſorum loco agendi facultas competat fiſco, non novo pœnarum genere jure contractuum Apoſtatæ privati erunt, ſed per bonorum publicationem id jam factum cenſebitur; cui tamen contradicere videtur *l. 1. C de Hær.* quæ pœnam publicationis bonorum à pœna ablatæ facultatis contrahendi peculiariter diſtinguit. Exiſtimamus itaque juxta leges civiles contractus cum Orthodoxo, qui poſtmodum defecit, initos per crimen Apoſtaſiæ ſic inflecti, ut Apoſtata quidem cogatur ſtare pactis, alteri vero parti integrum ſit à conventione reſilire, modo ſi quid acceperit, reſtituat, neque cupiat locupletari cum alterius damno. Hæc ſententia cum verbis

verbis ſupra allegatis *Autb. Credentes* convenit, nec parum roboris capit è collatione eorum, quæ paulo antea de teſtamento ab Apoſtata eo tempore, qvum adhuc Orthodoxus eſſet, confecto diximus. Nam ſi tale teſtamentum per crimen Apoſtaſiæ fit irritum, uti ſane fieri demonſtravimus, quin idem de contractu quovis dicatur, nihil impedit. Legis igitur *4. C. de Hær.* ultima verba ſic interpretamur, ut teſtamenta ab Apoſtata, quando adhuc Orthodoxus erat, ſcripta & donationes cum mortis cauſa, tum inter vivos ſic factæ, ut traditio demum poſt commiſſum crimen Apoſtaſiæ ſecuta fuerit, dicantur etiam poſt mortem Apoſtatæ, ſi ipſo vivente de crimine non innotuit, reſcindendæ. Quanquam enim facile largiamur vocabulum *reſcindendi* non opponi ſemper & ubique ei, quod *nullum eſt ipſo jure*; tamen ſicut nemo negat, iſtam dictæ vocis acceptionem frequentiorem apud nos eſſe; ita ſi aliunde confirmari queat explicatio vocabuli *reſcindendi* de revocatione ejus, quod ipſo jure ſubſiſtit, utique præferenda hæc erit alteri, quæ nomina diſtinctionis cauſa inventa permiſcet & confundit, conf. *Barboſa in Autb. Credentes n.2.*

§. 15. Videbantur actiones & delicta Apoſtatarum peculiarem locum ſibi vendicare, ſed cum pauciſſimis res tota expediri queat, licebit, quæ de actionibus & delictis habenda ſunt, huic capiti annectere. Actinum beneficia, quibus vel rem noſtram conſequimur, vel ab alio debitam poſcimus, vel alias adverſus perſonam experimur, Hæreticis denegat *Autb. Credentes*, iis verbis: *Nullus ei ſuper quocunque negotio, ſed ipſe aliis reſpondere cogatur.* Atque ſic omnino nulla actione Orthodoxum convenire Hæretici poſ-

ci poſſunt, ut è textu allegato & aliis utriusque Juris oſtendunt Doctores ap. *Farin. de Hær. q. 189. §. 4. n. 48. & Barboſam in Auth. Credentes n. 9* Hinc vero vi ejus argumenti, quo hactenus è conditione Hæreticorum de Juribus Apoſtatarum judicare ſolenne nobis fuit, colligimus, Apoſtatas facultatem in judicio adverſus alios agendi amittere, & actiones jam cœptas poſt crimen defectionis proſequi ulterius non poſſe.

§. 16. Propterea tamen, uti proxime jam diximus; nequaquam credendum eſt, Apoſtatæ debitores quosvis per illud crimen ſic liberari, ut debita lucrentur, & obligationis vinculo rupto, quæ acceperint, impune poſſidere pergant. Neque enim id æquitatis leges permittunt, juxta quas nemo absque cauſa vel titulo, & cum damno alterius locupletatur, *l. 14. ff. de cond. indeb.* Hoc ſolum iſta agendi incapacitas efficit, ut exceptione elidi Apoſtatæ agentis conatus poſſit. Interim ſive confiſcatio bonorum facta, ſive jus in facultates Apoſtatæ ad liberos derivatum ſupponatur, non deerunt, qui actiones proponant aut ſi cœptæ ſint & per agentis Apoſtaſiam ruptæ, proſequantur. Ita intelligi debet *c. f. X. de Hær.* conf. *Farinacius, Barboſa loc. all.* & alii.

§. 17. Quæ alias hic agitari controverſiæ ſolent, è jure Bannitorum, quorum pœna in locum deportationis noſtris moribus ſucceſſit, & è jure excommunicatorum optime deciduntur. Quanquam enim Apoſtata Bannito & Excommunicato ex aſſe ſimilis non ſit, in amiſſione tamen privilegiorum nulla inter ipſos eſt differentia. Ergo quum exceptionem non competentis facultatis agendi quocunque tempore opponi

ni Bannito & Excommunicato poſſe *Zangerus* oſtendit *de exc. c. VIII. part. 2. n. 17.* iſta ad Apoſtatam recte applicantur, ut liceat tali exceptione alioquin dilatoria ipſum in inſtantia ſecunda removere, etiamſi jam in inſtantia prima crimen Apoſtaſiæ fuerit perpetratum. Similiter huc pertinent, quæ de Bannitis ab actione officio judicis removendis, quamvis jam ante banni declarationem cœpta ſit accuſatio, ſcribit *Schwanmannus obſ. pract. Proc. Camer. obſ. 46.* Sed & viciſſim huc applicatur caſus, quem idem autor *obſ. 51.* refert: Titium videlicet in Cameræ Judicio citationem adverſus Sempronium extraxiſſe, & lite pendente Rothwilæ fuiſſe declaratum in bannum. Dum bannitus eſſet, nihil egiſſe, impetrata autem liberatione perrexiſſe. Deciſum deſuper fuiſſe proceſſum valere, quoniam pendente Banno nihil egerat.

§. 18. Quanquam Juris Canonici ſanctiones excommunicatum & perjurum, leges Camerales apud nos Bannitum ab actionibus inſtituendis & proſequendis removeant, exceptionibus tamen utendi & iisdem aliorum conatus in judicio eludendi facultatem relinqvunt, *c. 5. 8. 10. X. de except.* Similiter quanquam agendi Jus Apoſtatis ademtum inveniatur, exceptionibus tamen non prohibentur ſe, cum impetiti fuerint, tueri. Jubet enim allegata *Auth. Credentes*, imo cogit ipſos aliis reſpondere, & proferre ſi habuerint, quod ad accuſationes contra ſe prolatas reponant. Et ſane, quæ verba ſunt *c. 5. X. de exc.* in caſu allegato, *ſatis eſſet abſurdum, ſi actore impugnante reo defenſionis copia denegetur, quia ſic condemnaretur multoties abſolvendus.* Meminiſſe hic nihilominus oportet, quod

ſupra fuit oſtenſum, privilegiis Hæreticum & Apoſtatam non uti; unde ſequitur exceptiones, quas privilegia religionis vel alia gravi de cauſa indulta ſuppeditant, per Apoſtatas non poſſe in judicio contra ipſos agentibus opponi, conf. *§.16. & 17. c.2.*

§. 19. Quoad crimina & delicta peculiare Heterodoxorum Jus eſſe vel ex eo patet, quod ſupra de Judæis mulierem Chriſtianam ducentibus è *l. 6. C. de Judæis* adductum eſt. Non attinet tamen de iſto hic verba facere, quoniam in inquirendo Jure Apoſtatarum occupatis nulla inde ſperari utilitas poteſt. Nam ſi de criminibus poſt Apoſtaſiam commiſſis quæſtio incidat, communis omnium Heterodoxorum conditio ſententiam dictitabit; neque hic circa Apoſtatas peculiare quid obſervandum occurrit. Quod autem delicta ab Orthodoxo commiſſa attinet, eorum naturam crimen deſertionis ſupervenientis haudquaquam immutat; Quemadmodum ille demum furor in delicto conſideratur, qui facto cauſam dedit, & male agentem comitatus eſt, ceu colligitur è *l.14. ff. de off præſ. l. 9. ff. ad leg. pomp. de parric. l. 12. ff. ad leg. cornel. de ſicar.* &c. ut adeo huc accommodari poſſit, quod de teſtibus *l. 22. § 1. ff. de teſt.* ſancit, conditionem teſtium teſtamenti facti tempore, non alio, obſervari.

§. 20. Si delictum tale ſit, ut ex odio Chriſtianæ religionis perpetratum videri queat, per Apoſtaſiam quidem, quæ poſtea contingit, veroſimile eſt, crimini novum pondus, imo novam formam & habitum accedere. Sed ubi rem accuratius examinamus, facinus mutatæ fidei hoc ſolum operatur, ut præſumat Judex, hominem, qui nunc aperte religionis caſtra vertit,

tit, ante commiſſionem delicti pridem falſo ſenſu falſaque doctrina de divino numine inquinatum fuiſſe. De cujus rei veritate ubi conſtiterit, crimen tanquam ab Apoſtata occulto commiſſum punietur eodem modo, quo tale crimen ab Heterodoxo illius ſectæ, ad quam Orthodoxus per Apoſtaſiam tranſiit, vindicari ſolet.

§ 21. Unum hoc Apoſtaſia demum poſt crimen commiſſa efficit, ut delinquens omni favore, qui alias mitigationem pœnæ fieri ſvadet, indignus fiat, & rigorem legis merito experiatur; Quemadmodum vice verſa ad religionis Chriſtianæ ſacra tranſitus cauſis mitigandi ordinariis pondus haud exiguum addit, & ſpes correctionis alia argumenta pro reo interpellantia juvat. Nam ut hoc obiter notemus, verior cæteroquin juſtiorque ſententia videtur, quæ Judæo reſipiſcenti & baptiſmum ſuſcipienti pœnam ordinariam non remittit (vid. *Carpzov. Crim. p. 1. q. 49. n. 47.*) quam quæ favorem religionis & baptiſmi aſſumti cauſis mutandæ pœnæ apponit apud *Theodor. Crim. c. 10. aph. 4. n. 80.*

§. 22. Veniendum eſt ad conſvetudinem Fori noſtri circa ea, quæ hoc capite pertractata ſunt. Nam quæ ſuperiori evolvimus, ea jam oſtendimus quousque apud nos obtineant. Quod ergo acquiſitionem Dominii concernit, Juris civilis regulas omnino ita ſequimur, ut Apoſtatæ ſint ſucceſſionis tam ex teſtamento, quam ab inteſtato incapaces. Intelligitur autem facile, de Apoſtatis nos loqui, quorum errores non theologice ſolum damnati, ſed & politice pœnis ſubmiſſi fuere. Hinc triplicis Religionis in Imperio

 perio

perio per Pacificationes & Receſſus decreta doleran-tia eos, qui fide Lutherana ejurata ad Pontificios aut Calvinianos tranſierunt, ab hereditate excludi vetat, quemadmodum decidiſſe JCtos invenimus apud *Carpzovium p 3. c. 14. d. 10. per tot.* conf. *Dauth. de teſtam. n. 246. & Sutholt. diſſert. 9. aph. 56.*

§. 23. Bonorum publicatio, quam decernunt leges Romanæ ob delictum Apoſtaſiæ, expreſſe ac ſpeciatim noſtro Jure abrogata non eſt: ſed dum in Ordinatione Carolina (quam ſequuntur & approbant Conſtitutiones Electorales Saxonicæ) ad ſolum crimen læſæ Majeſtatis confiſcatio omnis reſtringitur, Apoſtatis eam tacite remiſſam nonnulli arbitrantur, vid. *Dn. Struv. comm. in auth. Gazaros p. 78.* Firmat tamen adverſam partem ſententia Scabinorum Lipſienſium, quam refert *Carpzovius* Hæretico alicui blaſphemo una cum pœna gladii confiſcationem bonorum dictitantem *Pr. Crim. p. 1. q 44. n 48.* conf *Pingizerus loc antea alleg.* Unde merito ambigitur, quid ſtatui ac decerni debeat? Plerique cum *Heigio p. 2 q. 33. n 51.* & *Theodorico Coll. Crim. c. 10. aph 6. n. 15.* per Ordinationem Carolinam & Conſtitutiones Saxonicas eas tantummodo leges veteres correctas pronunciant, quæ damnato de aliquo crimine ad mortem publicationem bonorum non directo, ſed per conſequentiam, quoniam damnatus fiat ſervus pœnæ, irrogant; non eas, quæ primario ac ſimpliciter aliquem bonis mulctant, quales ſunt etiam, quæ adverſus Hæreticos latæ inveniuntur. Et hanc quidem ſententiam, ſi recte urgeatur, veriorem eſſe arbitror, ac reſponſionem, qua ita ſatisfit dubio è noſtris legibus petito, longe

tutio

tutiorem ea, quam aliqui, eandem ſententiam propugnantes, è verbis Ordinationis Carolinæ depromere audent, ubi regulam, à qua plures excipiendi ſint caſus, contineri volunt. Videtur ſane obſtare memoratum præjudicium Scabinorum Lipſienſium, quippe quod una cum pœna mortis bonorum publicationem decernit; accuratius tamen rem expendenti apparet in iſto caſu concurriſſe Blaſphemiam cum Hæreſi, & cum hæc ſolam confiſcationem mereretur, illam delinquenti mortis judicium ſimul peperiſſe.

§. 24. Si maxime ſtatueremus, Apoſtatæ bona hodie non amplius confiſcari, inde tamen haud quaquam colligere liceret, iſti hominum generi omnem teſtandi ac diſponendi de rebus ſuis licentiam competere. Novimus à quibusdam ita concludi: *Quoniam damnatorum ad mortem poſſesſio fiſco nunc non cedit, ideoque teſtamento aut codicillis de hereditate ſua damnatum liberrime ſtatuere poſſe.* Quæ regula an adeo ſit vera, ut exceptiones nullas patiatur, jam inquirere non lubet Hoc ſolum aſſerimus, illud argumentandi genus in caſu Apoſtaſiæ locum non invenire. Demonſtratum enim eſt antea, teſtandi inhabilitatem non derivari è confiſcatione bonorum, quam Apoſtatis & Hæreticis leges civiles dictitant, ſed pro peculiari & diſtincta tam atrocis criminis, quod in Majeſtatem Divinam committitur, pœna habendam eſſe. Ita damnatos de ſortilegio, quod crimen Apoſtaſiæ Doctores ita ſimile eſſe cenſent, ut Apoſtatas & veneficos in eandem claſſem congerant, conf. *Struv. Synt. Jur. exerc. XXXII. th. 8.* noſtris moribus teſtari non poſſe docet præjudicium olim in tali cauſa latum, quod exhibet

hibet *Theodoricus Crim. c. 10. a. 6. n. 24. p. 1413.*

§. 25. De contractibus idem quod de Teſtamentis dicendum eſt, cum jus contrahendi ex eadem ratione & perinde ut teſtandi facultas Hæreticis fuerit ademtum. Diſtinctionem tamen facere oportet inter contractus, quos cives cum cive ejusdem Reipubl. init, & eos, quos civis variarum regionum & civitatum faciunt. Nam hos quidem non indiſtincte per Apoſtaſiam rumpi aut propter Hæreſin nullos eſſe vis obligandi, qua ſtatuta cujuscunque civitatis pollent, oſtendit. Cujus rei expoſitionem huic loco reſervare placuit, ut per eam univerſæ Tractationi finis imponatur. Videbimus ergo quid inter diverſarum civitatum municipes quoad ea omnia, quæ hiſce duobus capitibus de Apoſtatis complexi ſumus, obtineat. Poſito nimirum alteram duarum civitatum juxta leges præfatas vivere, vel eas ſtatutorum ſuorum regulam habere, alteram ſublato quoad vitam civilem diſcrimine inter Heterodoxos & Orthodoxos nominatarum legum nullam obſervare, quæritur, quo jure civis unius intra alterius fines habeatur?

§. 26. Equidem cum omnia illa, quæ præſenti Tractatione evolvimus, ad puniendos cives propter crimen Heterodoxiæ & Apoſtaſiæ pertineant, videtur ſane eorum nihil ad exteros Magiſtratui non ſubjectos ſpectare, quippe qui pœnam & ſupplicia ob crimen alibi patratum non incurrunt. Et quanquam Heterodoxiæ talis ſit natura, ut ſemper ac quotidie veluti de novo committatur, atque ſic in quemcunque quis locum veniat, ibi primum cenſeatur illud crimen peragere, tamen viciſſim fere tantum in civibus per-

petuo

petuo intra civitatis terminos manentibus id facinus puniendum videtur, modo abſit blaſphemia & ſeditio manifeſta, quæ in omnibus ſupplicio digno affici merentur. Sed iſtis non obſtantibus, quæ hucusque de civibus diximus, ſuo modo ſimul ad extraneos ſive peregrinos referri poſſunt. Conſiderandum enim eſt quæ in civibus habent vicem pœnæ, ea intuitu extraneorum habere poſſe vicem ſimplicis Statuti. Quemadmodum Jus Albinagii in Gallia extraneis aliquid imponit tanquam Statutum, quod ſi civibus injungeretur pœnæ ſpeciem præ ſe ferret. Illud cuique manifeſtum eſt, civitatis alicujus privilegia extraneo absque injuria & absque ſpecie ſupplicii denegari, quæ civi non recte adimuntur, niſi ipſe inſignis alicujus facinoris ſit reus.

§. 27. Sepoſito ergo tantiſper reſpectu pœnæ, conſideremus leges Apoſtatæ crimen punientes tanquam ſtatuta partim de perſonis eorumque jure partim de rebus certi quid diſponentia. Statuta enim, quæ vulgo mixta vocari ſolent, & actuum civilium ſolennitates deſcribunt, hic nulla inveniuntur. De Perſonalibus obtinet regula; *Ea comitari ſubditos, quocunque locorum iverint, ad extraneos autem omnino non pertinere.* Integrum enim eſt magiſtratui ex illa facultate, quam ipſi totius populi in cœtum coëuntis conſenſus tribuit, ſubditorum ſtatum formare, prout utilitas publica ſvaſerit, ſervantque eam conditionem ſubditi ſive intra civitatis terminos ſive extra ipſos aganr, quamdiu relicto priori domicilio novum non elegerunt. In extraneos vero, qui civitatis noſtræ arbitrio ſe non ſubjecerunt, tantum poteſtatis non eſt, ut liceat ſtatum moralem pro lubitu immutare, etiamſi ad tempus in noſtro

L terri-

territorio verſentur. Hi tamen, ſi privilegia civibus à Magiſtratu indulta ſibi denegari viderint, de injuria conqueri, ut dictum eſt, haud poſſunt; neque per talem privilegiorum negationem ſtatus ipſorum immutatur, ſed potius, qualem natura obtinent, relinqui intelligitur, vid. *Rodenburgius in tractatu præliminari libri de Jure Conjugum, quod ex ſtatutorum conflictu oritur, tit. 1. c. 3. Realia Statuta res intra ditionem civitatis exiſtentes afficiunt, & quarumvis perſonarum etiam exterarum & ſtatuentis potentiam cæteroquin non agnoſcentium reſpectu vim obligandi exercent, territorium autem non egrediuntur.* conf. *Pinzig. Quæſt. Saxon. illuſt. 29. per tot.* Id quod adeo perſpicuæ veritatis arbitramur, ut nulla cuiquam ſupereſſe dubitatio poſſit. Quanquam enim perſonæ exterorum bona quædam apud nos poſſidentium hoc ipſo non ſint noſtræ poteſtati penitus obnoxiæ, pati tamen debent, ut rei in ſolo noſtro ſitæ certa onera imponantur, ejusque conditio pro ratione utilitatis publicæ à nobis formetur.

§. 28. Dicamus nunc de Statutis Apoſtatas concernentibus. Quæ capite proximo tradita fuere, perſonalia eſſe apparet, quoniam de ſtatu, conditione & habilitate Perſonarum agunt, ac proinde pertinent ad ſolos cives, niſi quatenus certa privilegia propter Apoſtaſiæ crimen auferunt; tunc enim ad exteros vim ſuam protendunt. Si ergo liberorum apud nos degentium parentes relicta civitate noſtra aliorſum commigraſſe, & religionis caſtra vertiſſe fingamus, hi quidem, quoniam ſe arbitrio magiſtratus noſtri mutato legitime domicilio ſubduxerunt, patriæ poteſtatis jure directo propter illud crimen non exuuntur, (niſi forte poteſtatem Parentum aliqua parte peculiari auxerit civitas

noſtra

noſtra, quæ alibi non reperiatur, quemadmodum olim apud Romanos factum novimus;) liberi tamen exolvuntur parentum poteſtate per leges civiles inventa, vel quia cives ſunt, & ſui juris creduntur, parentibus in diverſo corpore civili viventibus, vel etiam in præmium conſtantiæ & pietatis. Ad honores non admitti exteros Heterodoxos, privilegiis itidem orthodoxæ religionis cauſa vel bono reipublicæ inventis ac indultis non gaudere non eſt iniqvum; nec pœnæ, ut ſatis demonſtratum fuit, ſpeciem habet.

§ 29. Statuta, de quibus hoc capite poſtremo diximus partim realia ſunt partim perſonalia Itaque, ordine ſingula examinare juvat. Exteri perinde ut cives noſtri ſucceſſionum & hereditatum apud nos incapaces ſunt, quatenus videlicet res donatas, & in hereditate venientes ſolum civitatis noſtræ comprehendit. Eſt enim Statutum illud hactenus reale, quod proinde exteros etiam afficit. Ad perſonalia tamen ſimul pertinet, quatenus cives noſtros impedit, res alibi ſitas titulo donationis aut ſucceſſionis acquirere. Confiſcatio bonorum regulariter ſolos cives tangit, ſiquidem non aliter conſiderari poteſt, quam ut pœna crimen atrocius ſupponens, adeoque ex Statutorum conſveta & ordinaria natura explicari nequit. Qui proinde ſubditi noſtri non ſunt, eorum bona in noſtro ſolo hærentia non licet propter Apoſtaſiam in ea civitate, in qua vivunt, pœnis nullis ſubjectam, occupare, niſi expreſſe cautum ſit, bona apud nos ſita ab Heterodoxis non poſſe teneri. Et hoc etiam caſu cogendi potius ſunt exteri, ut bona vendant, quam illis privandi. Teſtaſtamentum cives noſtri, qui Heterodoxiæ veneno inquinati ſunt, nullibi recte condunt nec de rebus apud

nos ſitis, nec de aliis alibi exiſtentibus. Exterorum apud nos ultima voluntas recte ſcribitur. Sed an de bonis apud nos ſitis? Ita ſane dicendum foret ſi ſtatutum eſſet mere, ut videtur, perſonale. Reale vero ſimul eſſe, fere perſuadent ea, quæ diſſerit *Rodenburgius l. all. t. 2. c. 5 n 7*. De Apoſtatarum teſtamentis hinc facile judicium fertur. Nec operoſum fuerit, quid de contractibus obtineat, invenire. Eadem enim contractuum in hac materia ratio eſt quæ teſtamentorum, niſi quod moneri oporteat, utilitatem commerciorum poſtulare, ut contractus extra civitatis fines à civibus noſtris Heterodoxiæ veneno inquinatis facti ſubſiſtant. Ita ergo in parte à communi regula per ſpecialem exceptionem & pacta civitatum receditur, quod & quoad alia hactenus recenſita eousque fierit ſolet, ut quo jure nos exteros habemns, eo noſtri apud illos habeantur. Quorſum pertinet Jus Retortionis, de quo vid. *Conſt. El. Sax. 38. p. 3.*

§. 30. Hæc ita de illo, quod inter diverſarum civitatum municipes obtinet, ſufficiant. Summatim & conciſe ea diximus, quoniam principiis jam paſſim receptis & accurate cum ab aliis tum imprimis à *Rodenburgio* demonſtratis nituntur. Quæ cum in hac poſtrema tum in reliqua Tractationis noſtræ parte non ſatis feliciter expoſita ſunt, eorum veniam humani ingenii conditio, per quam omnes errandi periculo ſubſumus, impetrabit. Quæ recte evolvimus, illorum nomine Supremo bonorum Datori gratias mente ſupplici libamus.

(o)

DISSERTATIO
DE
INCORPORATIONE
PROVINCIARVM ET TERRITORIORVM GERMANIÆ.

§. 1.

QVoties vitam hominum rationalem ſerio expendimus, decorumque ordinem, qui ipſam à brutorum ſimplicitate diſtinguit, contemplamur, certum ſe nobis rerum genus ſiſtit, quod ut peculiaris plane indolis ſit, vix tamen intelligi poteſt, niſi referatur ad eorum entium naturam, quæ cœli terræque compages & creaturarum univerſitas ſenſui potiſſimum noſtro vel tanquam res ſua vi ſubſiſtentes, vel tanquam inhærentes alijs objicit. Hinc factum eſt, ut, qui culturam doctrinæ diu neglectæ non ita pridem ſuſcipiebant, Entium Moralium tot fere facerent claſſes, quot prædicamentis antiquiores Philoſophos Entia Phyſica incluſiſſe viderent. Nobis quidem primam claſſem nunc ingredi propoſitum eſt, & inde materiam præſenti Disquiſitioni petere.

§. 2. Inter Entia igitur Moralia per modum Subſtantiæ concipienda eminent Societates illæ, quæ pro-

pria ſibi appellatione Corpora nominantur, cæteroquin autem pene infinitæ ſunt varietatis. Perfectiſſimum omnibusque abſolutum numeris Civitas audit, quod quidem unica veluti anima conſtat, Majeſtate ſcil. ſive Summo Imperio, plurima autem ſubordinata corpora complectitur, quorum unumquodque ſuis quaſi partialibus formis ſeparatim gaudet, quemadmodum rerum naturalium Doctores in corpore diſſimilari, ut loquuntur, plures partes variæ naturæ diſtinguunt, quæ tamen unitatem eſſentialem iſtius corporis non impediunt. Hujusmodi corpora ſunt Provinciæ, Collegia & Societates Civium, quæ omnia ita ſunt Civitati ſubordinata, ut unum ſemper altero propius ad iſtius naturam accedat, tali fere ordine, qualis apparet in Logicorum Scala Prædicamentali. An geminum quid in ullius corporis phyſici conſideratione occurrat, jam evolvere non attinet.

§. 3. Habent autem corpora moralia, perinde ut phyſica, ſua incrementa, & quum nova pars vel corpori magno, vel alicui è ſubordinatis & inferioribus ſic accedit, ut eadem forma ipſam una cum aliis pervadat, ſolet ea conjunctio Incorporationis voce exprimi. Generalius tamen aliquando idem vocabulum pro quavis compoſitione ſeu generatione corporis moralis ſumitur ſepoſito eo reſpectu, quem ad aliquod præexiſtens & prius, à quo veluti abſorbeatur poſterius, involvit. Itaque v. g. non ſolum Ducatus Sileſiæ Bohemiæ Regno à Carolo IV. Imperatore junctus Incorporationis exemplum eſt, ſed & à Scriptoribus Juris Publici Ducatus Brunſvicenſis è pluribus particulis incorporatis conſtare dicitur.

§. 4. Po-

§. 4. Populorum regnorumque hiſtoriam evolventi alia quædam ſyſtemata moralia occurrunt, quæ, uti Corpora vocari non merentur, quoniam laxiori vinculo juncta & propterea rerum phyſicarum aggregatis proxime ſimilia ſunt; ita unio ea, per quam ipſa vel primum fiunt, vel poſtmodum amplificantur, Incorporatio proprie dici nequit. Componuntur autem talia ſyſtemata, quando aut peculiari fœdere gentes coëunt, aut duo pluresve Principatus unum agnoſcunt Dominum. Primi generis exempla Græcorum Veterum inſtituta ſuppeditant. Amphictyonum enim curia, Panætolicumque concilium argumentum haud obſcurum præbent confœderationis arctioris, de qua nunc loquimur. Non equidem nos fugit, Ætolorum Rempublicam ab aliquibus pro una civitate haberi non pro pluribus fœdere conjunctis, propugnatque eam ſententiam *Schildius* ſat manifeſte, dum à Panætolio Majeſtatem Reipublicæ repræſentatam juſſu univerſi corporis fuiſſe ſcribit, *de coal. pop. & rer. l.2. c.13.* Sed poſſent tamen non pauca ex Livio Pauſania, Polybio & aliis pro firmanda adverſa parte adduci, ſi iſta nunc prolixius evolvere animus eſſet. Ita Achæis etiam, quorum erant tredecim in Peloponneſo civitates, *Polybius hiſt. l.2.* affirmat, *præter communia mœnia ad unitatem Civitatis nihil defuiſſe*; cum interim non majori opera probari queat, unamquamque civitatem ejus Reipublicæ, perinde ut factum eſt apud Ætolos & Græcorum alios, quorum erat Amphyctionicum judicium, jus ſummum ſalvum in conjunctione conſervaſſe. Recentiora Provinciarum fœdere junctarum Syſtemata Batavi & Helvetii nobis

ſiſtunt,

ſiſtunt, apud quos plures Civitates, ſalvo ſingulis jure majeſtatico, unam alteramque partem ſummi Imperii non niſi communi conſenſu exercent. Non deſunt, qui Romano-Germanicum Imperium ad hanc claſſem Syſtematum referunt & è ſociis inæquali fœdere junctis componi pronunciant. His equidem vetuſtiorum temporum monumenta actorumque publicorum fides obſtat, quippe quæ non fœdere primum coaluiſſe tot civitates, ſed longe aliam S. Imperii & omnis ejus poteſtatis, quæ Statibus cum ſimul ſumtis, tum ſingulis in ſuo cuique Territorio competit, originem docent, ac Territorialem, ut vocari ſuevit, Superioritatem demonſtrant à Liberalitate Imperatoris derivari, & qualicunque modo limitatam eſſe potius ex modo & ratione originis ſuæ, quam ex Principum ſpontanea conventione aut pactis: Attamen negari nequit, non inutiliter cæteroquin ad Statum hodiernum Imperii Germanici applicari, quæcunque de Civitatibus fœdere unitis à Doctoribus vulgo diſſeruntur.

§. 5. Regnorum in ſola perſona Imperantium conjunctorum varietatem pene infinitam monumenta rerum proximis ſeculis geſtarum exhibent. Memorari ex omnibus meretur unio, qua Ferdinandus Catholicus ſex Regna Caſtiliæ, Arragoniæ, Legionis, Grenadæ, Neapolis & Navarræ ſociavit. Sed Caroli nepotis fortuna his longe plura adjecit, de quibus vid. *Thuanus hiſt. l. 1. & 2.* Inſignis deinde conjunctio, utut parum diuturna, fuit Regnorum Poloniæ & Hungariæ, quæ in Ladislao Polono Jagellonis Filio; & alia trium regnorum Septentrionalium Sueciæ, Daniæ

niæ & Norvagiæ, quæ in Margareta Danica contigit. Obſervant autem circa hanc conjunctionem moralis diſciplinæ doctores id peculiare, quod duo vel plura corpora perfecta ab eodem capite pendeant, & monent in rebus phyſicis aliud obtinere, ſiquidem non niſi in monſtro à communi lege naturæ aberrante caput unum ſit plurium corporum. Ita *Grotius l. 1. c. 3. §. 7.* quem ſequntur alii communiter. Sed quid de hoc aſſerto ſentiendum ſit, paulo poſt declarabimus. Hoc pacto una Auſtriaca G. domus Bohemiæ & Hungariæ diſtincta Regna poſſidet, poſſidet Ducatus & Comitatus varios, quorum multi aliis haud propius, quam quod ejusdem Domini nutum revereantur, uniti ſunt. Huic jungi meretur Sereniſſima Domus Brandeburgica in cujus ditione complura ſunt Territoria, quæ inter Boruſſiæ imprimis Ducatus ſeparato à reliquis omnibus regimine ſuis legibus ac inſtitutis adminiſtratur, nec unum corpus proprie dictum cum aliis facit.

§. 6. *Dn. Fürſtenerius* ſane *c. XI. de Suprematu* fœdus gentium peculiare unionem in unum corpus appellavit, & ita alios præterea multos loqui invenimus, quoties de Helvetiis aut Batavis ſermo eſt. Quin & laxior conjunctio plurium principatuum in perſona Imperantis nonnunquam iisdem verbis deſcribitur; ſicuti Carolum V. cum Belgicum is principatum poneret, dixiſſe *Grotius* memorat *Apol. c. 1. Quanquam eæ nationes eſſent diverſæ ac ſeparatæ, ab iis tamen unum conſtitui corpus, atque ejus corporis membra debere opem inter ſe ferre mutuam.* Sed Carolum veroſimile eſt intellexiſſe veram conjunctionem

in unum corpus Civitatis. Nam operam ipſum dediſſe, quo tota Belgico-Germania in unam Imperii formam coiret, etiam ſub iisdem legibus, nummis, menſuris ac ponderibus, *Grotius* eodem loco teſtatur, & ſimul diverſitatem ſitus, ingenii, aliasque circumſtantias Caroli conatus eluſiſſe refert; conf. *Metteranus part II.* der Niederländ. Hiſtorien *l. 2.* Utcunque iſta ſe habeant, nec qui civitates fœderatas, nec qui provincias ſub unius dominatum redactas in unum corpus coiviſſe dicunt proprie loquuntur. Plura enim corpora ſunt accidentali quaſi vinculo colligata.

§. 7. Ex his ſequitur, quod jam ante indicatum fuit, Incorporationis vocabulum illis ſolis acceſſionibus proprium relinqui debere, quibus vel Civitas vel corpora eidem ſubordinata fiunt & augentur. Ita de bonorum fiſco delatorum conjunctione cum bonis fiſcalibus aliis uſurpatur. Quam ſignificationem obtinet non tantum in rubrica Codicis *de bonis vacantibus & Incorporatione*; verum etiam paſſim in Receſſibus & Sanctionibus Imperii, conf. *Capitul. Carol. V. art. XXIV.* Sic acceptum reperitur apud *Choppinum de Dom. Franc. l.1. tit.2.* ubi Autor præter expreſſam Incorporationem cujus formam è *l.3. d. t. de bon. vac.* delineat, tacitæ meminit, quæ fiat per confuſionem redituum & relationem in easdem tabulas fiſcales, *n 9. ſeqq.* In literis Rudolphi, quibus ipſe Nobilitati Suevicæ certa privilegia indulſit, dicitur, illis privilegiis gaviſuros eſſe omnes, qui ſint Nobilitati Suevicæ *incorporati*, h. e. qui ſint de ejus cenſu, uti explicat *Limnæus T.V. l.6. c.3. p. 36.* Porro etiam Eccleſiarum unio aliquando Incorporationis titulo venit, quam Romano-

Catho-

Catholici ſolius Pontificis ſui autoritate fieri exiſtimant. Et cum rei feudali cuivis nova feuda vel allodia accedunt, Incorporationis vox non infrequenter uſurpatur. Sed ea conjunctio frequentiſſime & καθ' ἐξοχὴν hac appellatione venit, quæ è pluribus civitatibus, vel è pluribus provinciis ſub una civitate comprehenſis facit unam civitatem aut provinciam civitati proxime ſubordinatam. Hoc ſenſu origo urbis Romanæ aliquot exempla Incorporationis ſuggerit. Nam cum paucis poſt U.C. annis Sabini injuriam, quam à Romanis acceperant, ulturi grave bellum minarentur, conciliatis Ducum prudenti conſilio animis, partes ad pangendum fœdus repente convenerunt, *nec pacem modo* (quæ verba ſunt *Livii l.1 c.13.*) *ſed & civitatem unam ex duabus fecerunt, regnum conſociarunt, Imperium omne contulerunt Romam.* Succeſſu temporis Albanus etiam populus, ſuadente Tullo, Romam traductus eſt, *factaque una urbs, una Reſpublica,* ut ſcribit idem *Livius c.28.* In Hiſpania è gemina Celtarum & Iberorum gente unam *Diodorus Siculus* (referente *Grotio l.2.c.9. §.9.* & *Schildio l.3. c.1.*) Celtiberorum coaluiſſe prodidit. Anglicana Hiſtoria ſeptem Regnorum conjunctionem in unum ſub Rege Saxonum Occidentalium Egberto factam memorat. Et Henricum II. Angliæ Regem univerſam Hiberniam in quatuor Regna diviſam occupaſſe inque unum corpus redegiſſe ex eadem notum eſt. An vero iſta duorum Regnorum Angliæ & Scotiæ Conjunctio, qua commutato nomine Magna Britannia dici, jubente Jacobo, cœperunt, huc referenda ſit, alii viderint. Sane unio Regnorum ſub novum nomen nec novum regnum

gnum facit, nec veræ unitatis eſt argumentum, uti ſcribit *Jacob. Godofredus de præced. p. I. c.I. n.5.* conf. *Dn Puffendorff. Specim. Controv. de Syſtem. civit. §. 9.* Eodem etiam incorporandi modo Civitates & Provincias Germaniæ ſæpiſſime coaluiſſe cum antiqua monumenta rerum geſtarum, tum recentior memoria docet. Atque illud ipſum impræſentiarum accuratius evolvere conſtituimus, ita quidem, ut dimiſſis augmentis, quibus univerſum Imperium Romanum, cum eſſet una Civitas, crevit, (remotior enim ætas illa noſtro ævo tantam utilitatem non ſpondet,) incrementa expendamus, quæ Imperii magni partibus, prius Provinciarum, hodie Civitatum nomine venientibus, per incorporationem acceſſerunt.

§. 8. Intelligitur autem facile, quam ſit neceſſe, ut tale quid molientes Hiſtoriam Orbis noſtri ingreſſi, paucis ante exponamus, quo pacto bona Germaniæ illuſtria, quæ Imperii Magni Proceres poſſident, eam faciem, quam aliquot retro ſeculis Majorum ætate oſtendebant, paulatim immutarint.

§. 9. Erat igitur tempus, quo univerſum Imperium è plurimis partibus compoſitum, una Civitas magna appellabatur, uno ſummo Principe clavum moderante, & una velut anima præſidente vaſtæ moli. Civitatis ingentis capaciſſimum illud corpus in provincias, uti jam vetuſtiori memoria in Imperio Romano factum fuerat, dividi commoditas adminiſtrationis poſtulabat. Itaque certis finibus incluſi diſtrictus ſubalterno Regimine gubernari à Præfectis, Comitibus, Marchionibus, Palatinis, Landgraviis provincialibus cœperunt; qui poſtquam ſequentibus in-

de

de temporibus potentia & divitiis creviſſent, rationem adminiſtrandi provincias ſibi creditas paulatim inflexerunt, & ex vicaria effecerunt ſubalternã & dependentẽ; hoc eſt, quũ ante mutuata autoritate fulgerent, deinde propria præfuerunt, ſed ita tamen, ut Imperatoris directionẽ tanquã ſubditi venerarentur, ſub ditione ejusdem eſſent, & corrigi poſſent, quoties ſuis durius imperarent. Comparari quodammodo iſta ipſorum conditio poteſt cum autoritate Ducum & Principum, qui nunc extra Germaniã Regibus Europæis ſubſunt. Contingit autem ea mutatio, ſub illud tempus, quando primum dignitates Comitum, Landgraviorum, Marchionum, & nova Ducum hereditariæ factæ ſunt. Accuratius vero id deſignare vel ideo haud licet, quoniam non omnium Imperii Procerum dignitas ſimul crevit, ſed eorum initio, qui potentia, opibus, conſilio eminebant. Interim ex quo ſemel hereditarius & deinde proprius Principum, Comitumque honor eſſe cœpit, dum ex altera parte Imperatoris decus libera electione ab una domo tranſire poſſet ad aliam, & Cæſares id ſibi ſuisque conſervaturi quidvis fieri paterentur, quã facile fuerit Proceribus, qui priſtinæ ſubinde libertatis memores erant, auctoritatis ſuæ incrementa ſic promovere, ut illa tandem è dependenti fieret libera & independens quivis intelligit? Degenerarunt ergo tunc (non ſemel tamen, nec ſimul omnes) Provinciæ in Territoria h. e. Regiones Superioritate, ut vocari ſuevit, animatas, & una illa civitas magna abiit in plures minores, quo facto poſtmodum ſingulas vel certe plerasque in Provincias, ſicuti olim magnæ civitati evenerat, rurſum dividi contigit.

§. 10. Civitates è Provinciis Imperii prædicto modo factas negant, qui Superioritatem Territorialem Majeſtatis quidem æmulam vocant, revera tamen, ut conſervent unitatem Civitatis Magnæ, eſſentialiter differre utramque poteſtatem arbitrantur, alteramque ſubjiciunt alteri. Lubet ergo pauliſper digredi, & cognoſcere, tum quid alii ſentiant, tum quid veritati maxime ſit conſentaneum. Invenimus autem duas Autorum claſſes, quarum una in aſſignanda Superioritatis Territorialis à Majeſtate differentia nominat conditionem, quæ poteſtati quidem Principum Imperii adhæret, Superioritatem tamen Territorialem infra Majeſtatem revera non deprimit, ſed hanc quoque citra ullum ejus detrimentum comitari poteſt; altera Principibus nonnihil, quod cum Majeſtate vera conſiſtere nequit, tribuit, ſed perperam & falſo.

§. 11. Qui Superioritatem Territorialem dicunt Poteſtatem Majeſtati ſimilem in Regione ſive Territorio, quatenus vel publicis legibus vel pactis cum ſubditis non reperitur limitata, videntur in eo differentiam à Majeſtate collocare, quod hanc non æque ut iſtam publicis legibus limitari contingat. Illud autem quale ſit, paucis videamus. Sane ſi leges proprie pro juſſione Superioris capiuntur, apparet cuique Majeſtatem legibus circumſcribi non poſſe. Veruntamen hujusmodi leges nec Superioritatem Territorialem pati admittimus. Præterquam enim, quod hodie ſuo marte jurisdictionem Principes in ſubjectis territoriis exercent, (unde exolevit aſſertum illud Speculi Saxonici, *in quam terram venit Imperator, in ea ſibi jurisdictionem aperiri*, conf. *Mylerus de Statibus Imp. p. 1. c. 14. n. 15.*)

n.15.) quodque privative, ut vulgaris loquendi ratio fert, non cumulative regalia Principibus conceſſa ſint, vid. *Roſenthal. c.V.q.V.n 1.ſeq.* expreſſe etiam à nemine turbari ipſos debere in Juris Territorialis liberrimo exercitio edicitur *art.VIII. Pac. Oſnabr.* Inde vero conſequens eſt legibus poteſtatem Principum, quam actu poſſident, non niſi ipſis conſentientibus imminui. Qua ratione facile intelligitur leges degenerare in pacta, qualia Majeſtas etiam non reſpuit, quippe ſummam poteſtatem haud evertentia. Neque vero aliud vel Conſtitutiones Imperiales vel Inſtrumenta publica Pacis hodie apud nos ſunt, quam conventiones, cum & iſtæ conſenſu omnium Procerum ſcribantur, & pax communi conſilio reddi ſoleat. Illuſtratur doctrina de pactis, ſive legibus, quæ invitis ferri nequeunt, non aliunde magis, quam ex fœderatarum civitatum inſtitutis, in quibus non raro accidit, ſingulas arbitrium imperandi, quo pollent, ultroneo motu limitare, ut non niſi reliquis conſentientibus certa jura exercere liceat. Quin ſalva Majeſtate ipſas aliquando uni perſonæ autoritatem conferre, ut ab ejus conſiliis omnes quodammodo pendeant, ex hiſtoriis manifeſtum eſt. Achæorum Strategus, quem ex Agathia & Plutarcho *Schildius loc. all.* prolixe deſcribit, id abunde probat, ut de aliis exemplis ſolicitos eſſe non ſit opus. Evolvi interim meretur *Strabo l.13. & 14.* ubi non pauca huc facientia diſſerit.

§. 12. Alii nexum feudalem, quo Imperatori Principes & Status ſunt obligati, Superioritatis Territorialis differentiam à Majeſtate ſuppeditare exiſtimant. His tamen illico obſtat autoritas *Proculi l.7. §.1.ff.de*

capt.

capt.&poſtl.rev. *Clientes noſtros*, inquientis, *intelligimus liberos eſſe, etiamſi neque autoritate neque dignitate, neque viribus* (ut legit Holoander) *nobis pares ſunt.* Veterum enim Romanorum mos ille, quo in fidem ſuam recipere minores civitates ſoliti fuerunt, conſuetudini Longobardorum quam proxime ſimilis eſt, ut propterea non pauci feudorum originem ad clientelas Romanas referre cœperint, conf. *Dn.Struvii Synt.J.F.c 1.n 8.* Verum miſſis, quæ poterant hic diſputari, & ablegato eo nomine Lectore ad *Arniſæi l.1.de Jure Maj c.4.* nexum ipſum feudalem accuratius examinare juvat. *Grotius* quidem *l.1.c.3 n.23. de J.B.&P.* jam obſervavit, obligationem feudalem nec perſonalem nec civilem libertatem tollere, adeoq; nec è poteſtate independenti facere dependentem. Fuerit tamen operæ pretium vaſalli conditionem per partes plenius explicando veritatem ejus aſſerti velut ad oculum demonſtrare. Primo igitur *Dominium directum adimit Vaſallo libertatem de re feudali pro arbitrio diſponendi.* Sed hujusmodi quid Majeſtatem intrinſece non lædere vel inde æſtimatur, quoniam in nullo regno uſufructuario ita abſoluta eſt Imperantis voluntas, ut vel alienare, vel oppignorare, vel ſucceſſionis turbare ordinem liceat. Porro quod *feudum omne certis caſibus Domino aperitur*, id nemo facile dixerit Majeſtati eſſe detrimento, ſiquidem per pacta fundamentalia in Regnis varie diſponi de Succeſſione citra detrimentum autoritatis ſupremæ poteſt, & confœderationes, quas in Imperio noſtro plures familiæ illuſtres ineunt, paciſcentium poteſtati nemo noxias credit. *Servitia & Fides*, quæ duo præſtari

ſtari à Vaſallo Domino ſolent, veram ſubjectionem iterum haudquaquam evincunt. Alias enim & Dominus Vaſallo ſubjiceretur, ſiquidem fides debet eſſe reciproca, *2.F.6.* unde Vaſallus & Dominus dicuntur conjuges, *2.F.58.* Tralatitium inſuper eſt, in civitatibus fœderatis mutuas fidei ac ſervitiorum pollicitationes à ſociis fieri, quin & juramento interpoſito confirmari. Earundem civitatum conditio ſuggerit, quod reſpondeatur, ſi quis urgeat, *feloniam à Vaſallo in Dominum committi & commiſſam ab hoc puniri.* Plerumque enim paciſcentes civitates transferre ad certum collegium certamve perſonam ſolent poteſtatem coërcendi eos, qui dum fidem fallunt, rumpendo fœderi occaſionem præbent. Præterea viciſſim crimen committere Dominus in Vaſallum poteſt *2. F. 26. & 47.* In univerſum vero nulla plane eſt à commiſſo in aliquem crimine ad veram ſubjectionem collectio. Supereſt *Jurisdictio, quam ſibi Dominus directus in feudo vindicat.* Verum nec eam ſummæ in populum ſubjectum poteſtati obeſſe hinc conſtat, quoniam eſt alterius naturæ & rem feudalem non perſonam directo afficit. Demonſtrantur iſta in exemplo Regni Scotiæ, quod feudum Angliæ ab immemoriali tempore fuit, ſi veteribus nonnullis Scriptoribus habenda ſit fides. Illud ſaltem negari nequit, Johannem Baliolum Edwardo I. fidelitatis juramento ſe obſtrinxiſſe, extatque ejus formula paſſim; conf. *Matth. Paris, Buchananus, Froſſardus, Sandfordius & alii.* Nihilominus Regium titulum Hiſtoricorum nullus Baliolo negare ſuſtinuit. Porro Regnum Neapolitanum Eccleſiæ feudum eſſe *certius eſt*, dicente *Arniſæo, quam quo jure id Pontifex*

 ſibi

ſibi ſubjecerit. l. 1. de Jure Maj. c. 5. num. 6. Solis tamen invidiæ ſtimulis actus Cardinalem Bibienam Pontificis Legatum Franciſcus I. admonuit, non ferendum eſſe, Carolum V. Imperatorem, qui fiduciarius ac vaſallus eſſet Pontificis Maximi, ſe regem Neapolis ac Siciliæ appellare, vid. *Bodinum de republ. l. 1. c. 9.* Interim hiſtoriæ docent, quam prona ſit & facilis ad ſubjectionem via eſſe alteri feudali nexu obligatum, niſi vaſallus & pactis cum domino, & fœderibus cum aliis vaſallis libertati ſuæ proſpiciat. Pertinent huc quæ de Regum, clientum Romanorum, accuſatione & condemnatione *Dion*, *Tacitus*, *Livius*, *Paterculus* rerumque Romanarum Scriptores alii paſſim tradiderunt. Quin & *l. 7. §. 2. de cap. & poſtl. rev.* huc non male refertur, quæ reos docet ex civitatibus fœderatis Romæ fieri. Quanto enim magis civitatibus feudali nexu potentiori obſtrictis idem eveniet. Equidem *Arniſæus* in eo ſudat, ut ejusmodi accuſationes demonſtret nihil obfuiſſe Májeſtati Regiæ, ſed longe rectius *Dn. Puffendorfius* Romanorum ſuperba conſilia exinde elucere cenſet, univerſi orbis dominatum animo concipientium, injuſteque ac inſolenter tractantium eos, qui ultro ipſorum amicitiæ per fœdera acceſſerant, *l. all. §. 16.*

§. 13. Certiorem ac magis evidentem Superioritatis Territorialis à Majeſtate differentiam nominant, qui recurrunt ad ſtatum Subditi, modo probare poſſent, Principes aliosque Imperii Proceres ſubditos propriè dictos eſſe. Quicunque alterius poteſtatem agnoſcunt & ipſius Imperio ſubſunt, eis Majeſtas nullo ſenſu tribui poteſt. At Principes noſtros non tantum

comi-

comiter Majeſtatem Cæſaris habere, quod de Romanorum fœderatis Proculus dicit, ſed & ipſius Imperio ex neceſſitate parere probandum reſtat. Notior eſt controverſia hactenus inter tot Scriptores illuſtres rationibus non exigui momenti utramque partẽ fulcientibus agitata, quam ut hoc loco commemorari debeat. Satis bene ſuam omniumque Procerum cauſam Epiſcopus Argentoratenſis per Legatos in Tractatibus Pacis Neomag. egiſſe videtur, quando triplici argumento probare ſategit, Principes imperii non eſſe ſubditos (*tom. 2. des memoires & negotiations de la paix de Nimegue p. 384*) Neque vero rem expediunt, qui diſſenſum compoſituri ad Ariſtocraticæ Reipubl. formam oculos intendunt, & Principes, maxime Electores, affirmant non eſſe ſubditos, ſi junctim conſiderentur, quoniam ad clavum regiminis ſedeant, ſumtos autem ſeparatim in ſubditorum claſſem omnino referri debere. Illud enim nunc quæritur, an iidem, qui Superioritate, in Territorio quisque ſuo, pollent, & quatenus eadem ſunt inſignes, haberi poſſint pro ſubditis Imperii proprie dictis? Quod ideo rotunde negandum eſt, quoniam Principum noſtrorum actus nemini ſubſunt, nec ab ullo mortalium irriti redduntur, ſuppeditante firmiſſimum argumentum *Grotio* in recepta ſummæ poteſtatis definitione, quam proponit *l. 1. c. 3. de J. B. & P.* §. 7 Rationes, quibus adverſa pars munitur, tantæ non ſunt, ut hanc unam vincant. Nam quod Principes evocari in Jus ab Imperatore poſſunt, eo parum probari *Monzambano* pridem oſtendit *c. V.* § *28.* Ac præterea antiquas Friderici II. & aliorum conſtitutiones, quibus *de criminibus capi-*

 talibus

talibus à Principe commiſſis Imperatorem ipſum pro more in Imperio Romano priſcis temporibus recepto cognoſcere debere ſanxerunt, (conf. *Stamler. de reſerv. Imp. §. 37.*) per contrarium uſum ac conſuetudinem, unde conſenſus Imperii recte colligitur, dudum eſſe abolitas conſtat. Sane intra tantum tempus de alio Principum crimine, quam fractæ pacis, cognitum eſſe vix novimus. Quid? quod ipſam etiam proſcriptionem aut ſuſpenſionem voti ac ſeſſionis, qua ob turbatam tranquillitatem publicam aliquando in delinquentes animadverſum eſt, parvifactam vidimus. Ad ſummum, quæ in hunc diem viget priſtinæ Jurisdictionis pars cum unum tantummodo alterumque caſum concernat, Status Imperii veros eſſe ſubditos non evincit, poteritque ea res poſt ea, quæ *Monzambano l. all.* tradidit etiam illuſtrari ex iis, quæ de Regum depoſitione apud *Arniſæum* & Politicos Scriptores alios paſſim diſputantur. Neque vero plus ponderis ac momenti habet illud, quod Status Imperii juramento non ad fidelitatem tantum, ut alias fieri à Vaſallis ſolet, ſed etiam ad obedientiam, quam regulariter ſoli ſubditi ſpondent, Imperatori ſe obſtringunt, quodque ſub comminatione & pœna pro Imperio Cæſar Statibus nonnulla injungit. Nam hoc omne facile removetur, ſi quis ea perluſtret, quæ *Speidelius è Zieglero aliisque* collegit, ſub voce gewärtig und gehorſam conf. *Beſoldus de Statu Reipubl. ſubalter. c. 2. num. 2. in fine*, & *Dn. Rhetius in Jus F. l. 1. t. 1. p. 78.* quemque allegat *Dn. Puffend. de republ. irreg. §. 12. & 13.*

§. 14. Si qua ergo Superioritatis Territorialis à Majeſtate eſt differentia, non aliter eam invenire licet,

cet, quam ſi meminerimus, poteſtatem ſuam à Cæſaris benignitate Principes derivare, nec ſemel ſed paulatim diverſisque temporibus Cæſare vel conferente vel confirmante vel indulgente acquiſiviſſe, & hinc inferamus, in ea deſcribenda videndum eſſe, quid Imperator concedere vel indulgere voluerit. Sic enim patebit, præterquam quod Majeſtatis vox in explicatione eorum, quæ Princeps Germaniæ poteſt, nullibi in Actis Imperii Publicis occurrit, quamvis ampliſſima Jurisdictio, Regalia, Jus ac Superioritas Territorialis Statibus paſſim adſcribantur, tamen eſſe aliquos actus Summi Imperii, quos vel precario & ex ſpeciali privilegio edunt, vel edere omnino non poſſunt, quoniam facultatem correſpondentem nondum acquiſiverunt. Atque in hoc ipſo conſiſtit Superioritatis & Majeſtatis limitatæ diſcrimen. Solet enim in Regnis aliquando quidem unius alteriusve juris exercitium ab arbitrio certi Collegii tanquam à conditione ſine qua non ſuſpendi, ſed radicalis facultas interim remanet apud Regem, cujus proinde Majeſtati per hujusmodi leges aut pacta fundamentalia nihil decedit. Sic etiam in Rebuspublicis Fœderatis per pacta actuum quorundam Majeſtaticorum productionem decreto omnium unanimi relinqui dictum eſt; manet autem eo caſu facultas agendi penes ſingulos inſtar radicis, cujus ſcinduntur germina è terris prodeuntia. Aliter de Principibus Imperii habendum. Hi enim quædam facere nequeunt, non quia exercitium alio ſponte ſua tranſtulerunt, ſed quia facultas agendi ipſis nunquam competiit. Si terminis rotundioribus uti placeat, non carent certis juribus propter *Compa-*

ſtata, ſed propter *Reſervata.* Nimirum Imperator in Conceſſione Principibus facta Regalia nonnulla retinuit, de quibus inſecuto tempore per Capitulationes & Transactiones alias ita diſpoſitum fuit, ut unius partis exercitium ſolius Imperatoris arbitrio relinqueretur, pars altera & inſignior quidem ad Imperii Concilium ſic tranſiret, ut vel Electorum tantum vel omnium aliquando Statuum conſenſu Imperatori opus eſſet, quando vellet illis juribus uti. His omnibus *Reſervatorum* vocabulum habito reſpectu ad jura Principibus ſingulis conceſſa recte tribuitur, quanquam fere frequentior uſus ea tantum Regalia tali appellatione nunc comprehendit, quæ Imperatori uni & ſoli absque Statibus in toto Imperio competunt. Vectigalium novorum impoſitio eorum jurium exemplum eſt, quæ Reſervata dici poſſunt illo ſenſu, quod Statibus olim inter reliqua jura non fuerũt conceſſa, conf. R. A. A. 1576. §. 116. Weiter & § 117. Dadurch ꝛc. & *Limneus annot. ad Cap. Carol. V. art. 18. p. 241. &c.* Ex dictis conſtat quid ſentiendum ſit de illis acutiſſimi Scriptoris verbis, cum inquit: *non tam Ordinum poteſtatem, quam habendi modum afficit, quod ditiones ſuas tanquam feuda ab Imperatore & Imperio agnoſcant.* In univerſum autem patet quantumvis extenſive facultatem, quæ Majeſtatis voce vulgo denotari ſvevit, Principes Germaniæ nondum poſſideant, intenſive tamen ſummam poteſtatem eſſe penes ſingulos in Territoriis ſubjectis.

§. 15. Interim ex his, quæ diximus, colligendũ non eſt, in ſingulis Territoriis ſive Civitatibus Imperii inter Imperatorem & Status proprie diviſam eſſe poteſtatem ſummam, ut partem ejus Imperator, partem

aliam

aliam Status exerceant. Nam illa jura *Reſervata*, quæ vel Imperatori ſoli, vel Electorum Statuumve Collegiis inſtructo competunt, non exercentur inconſultis, multo minus invitis Dominis Territoriorum. Ea vero jura, quibus Status gaudent, ab ipſis pro lubitu & quandocunque viſum fuerit, deduci in actum poſſunt. Interim ſi quis per *Reſervata* Imperatoris vinculum illud, quo olim tot Regiones in unum Reipublicæ Magnæ corpus colligabantur, quodammodo manſiſſe putet, ei nos non magnopere contradicemus, modo agnoſcat ille, quoniam maxima Majeſtatis portio eaque inſignior, qua carere perfecta Respublica nullo modo poteſt, ad Principes paulatim tranſiit, Provincias his ſubjectas evaſiſſe in Civitates. Nimirum quanquam recte *Lampadius part. 1. n. 62.* partium independentis potentiæ quamvis majeſtaticam dixerit; verum tamen viciſſim eſt aliam pollere minori aliam majori ſive vi ſive ſplendore, quod accuratiſſime ſuo more oſtendit *Celeberrimus Conringius not. ad d. l. Lampadii.* Optime *Dn. Zieglerus de Jur. Maj. l. 1. c. 3. n. 25.* tria potiſſimum γνωρίσματα ſummæ poteſtatis facit, in quibus iſthæc maxime ſita ſit, ſcilicet leges condere, magiſtratus conſtituere & bellum indicere. Hinc vero, ſatis colligere licet, an Territoria Principum hodierna Civitates dici mereantur. Simul etiam cognoſcimus, quibus partibus potiſſimis Superioritas Territorialis abſolvatur. Eæ ſane aliquando ſolæ Superioritatis titulo ſublimi veniunt, atque id imprimis operantur, ut is pro Summo Territorii Domino habeatur, cui talia jura, quibus non immerito Potentatus aut Suprematus nomen accommodatur, competunt, & ſi in eadem

dem parte Regionis alius Jura Majeſtatica Minora exerceat, is potius per conceſſionem, quam ſuo marte actus tales edere præſumatur.

§. 16. Satis pro inſtituto mutationes, quæ Romano-Germanici Imperii partibus acciderunt, evolvimus. Ter videlicet converſo ſtatu priſtino Regiones illæ Germaniæ novam conditionem induerunt. Initio erant provinciæ ſubalterno & vicario regimine gubernatæ; poſtea ex his factæ ſunt Provinciæ, quibus propria ſed dependenti adhuc autoritate domini inferiores præerant; denique Provinciæ abierunt in Civitates ſive Territoria h. e. corpora moralia perfecta, quorum unumquodque ſumma poteſtate animatum eſt. Pro triplici iſto ſtatu triplex concipi Incorporatio poteſt, ut alia facta intelligatur eo tempore, quo Comites aliique Proceres nomine Imperatoris Provincias moderabantur; alia quando Miniſtrorum vicaria autoritas in arbitrium dependens tranſiit; alia denique recentiori memoria, quando Principes abſolute & independenter imperant.

§. 17. Sunt autem duæ Incorporationes priores præterlapſis temporibus non aliter propriæ, quam quod tunc ſolæ contigerunt, tertia fieri non potuit. Sed noſtra ætas & poſtremam cernit & primam; ipſa etiam ſecunda certa ratione celebrari poteſt. Hoc clarius ita explicatur. Olim in Imperio, cum ipſum eſſet unica Civitas, membra tantum erant Provinciæ; ergo non niſi Provinciarum erat Incorporatio. Hodie quum Imperii membra perluſtramus, & Civitates offendimus & Provincias his civitatibus ſubordinatas. Obſervandum præterea videbatur ad periodum ſecundam,

dam, potuiſſe & illo tempore, quo Provinciæ hereditariæ factæ erant, incorporandi primo modo Provincias Provinciis ſubordinatas, quæ à Magiſtratibus Procerum Imperii nomine imperantibus regebantur, conjungi: ſed quoniam tales Provinciæ, in quas diviſas fuiſſe majores ditiones præſupponimus, non erant Civitatis partes immediatæ, illarum contemplationem ab hac tractatione non immerito removemus, quippe qua ſolas Civitates & illis proximas Provincias nos conſideraturos promiſimus. Triplicem erga Incorporationem nunc ordine pertractabimus, ultimam tanquam maxime illuſtrem ſtudioſisſime, reliquas ſtrictius & cum iſta comparatas.

§ 18. Incorporatio in ordine ad enumeratas tres ſpecies accurata definitione explicari propter diſtinctos Provinciæ & Civitatis conceptus vix poteſt. Juris quidem publici Scriptores generaliter ſumtam vulgo dicunt, diverſorum bonorum acceſſorie factam conjunctionem & ſic formalem rationem hujus unionis in eo ponunt, quod una Provincia aut Civitas alteri acceſſorie copuletur. Quæ tamen ut ſatis congrua & accurate dicta ſint valde verendum, certe obſcura eſſe quilibet animadvertit. Acceſſoriam conjunctionem vocant, quando minus principale adjicitur principali, ejusque fit membrum ac portio, v.g. cum *Comitatus*, verba ſunt *Speidelii*, *unus vel plures adjiciuntur Regno* (*ſub voce: Unio provinciarum.*) Principalis ipſis eſt, cum provincia Regno non ut membrum ſit, ſed tantum ſecundum quædam jungitur, adeoque priſtinum nomen, ſtatum, ac dignitatem retinet. Hic primum obſervamus, nihil declarari, quando Incorporatio

O per

per acceſſoriam conjunctionem, & iſta per talem unionem, qua unum fiat alterius pars & membrum, explicatur. Jam enim ſonus & ſignificatio vocis utcunque poterant docere, eas eſſe incorporatas provincias, quarum una alteri tanquam novum membrum accreverit, vel quæ ſint ſociatæ in unum corpus. Oſtendendum fuerat, qua ratione ita fiat? Philoſophi nomen haud meretur, qui quærenti, quæ ſit forma hominis, inanium verborum fucum objiciens reſpondet, per quam homo ſit homo. Deinde tolerari in explicatione conjunctionis Principalis non poſſunt, quæ de conſervatione Nominis, Status, ac Dignitatis dicuntur. Nā cum vi oppoſitionis ſequatur, in vera Incorporatione Provinciam vel Civitatem, quæ alteri alicui accedit, Nomen Statum & Dignitatem priſtinam amittere; Ducatus Wurtemburgici vel ſolum exemplum teſtatur, id non eſſe perpetuum, quod paulo poſt inter effectus Incorporationis erit ulterius declarandum. Tertio non tunc modo Incorporatio Provinciarum & Civitatum fit, quando una tanquam minus principali adjicitur, verum etiam cum duæ æque principales aut æque minus principales copulantur, quod uti jam antea ſuppoſuimus, ita mox exemplis pluribus ſumus confirmaturi. Præterimus alia, quæ moneri poterant, ne videamur inania captare. Quæ vero pro neceſſario conſequenti ad Acceſſoriam Conjunctionem habetur à prædictis Scriptoribus, reductio Provinciarum ad ejusdem juris regulas, & normam earundem legum, hanc alii formalem rationem Incorporationis faciunt, provocantes imprimis ad hiſtoriam Wurtemburgenſem, quæ refert poſt factam plurium Ducatuum &

Comi-

Comitatuum conjunctionem ponderum quoq; & menſurarum diſcrepantia ſublata ad unitatem perfectam omnia redacta eſſe. Verum concordantia quorumvis jurium ut ſit Incorporationis formale tantum abeſt, ut ne quidem pro adjuncto aut effectu neceſſario haberi queat. In Regnorum certe conjunctione frequenter contingit, partium unitarum quamlibet ſuis juribus uti, quemadmodum provinciarum Galliæ Regno Incorporatarum exemplo conſtat, vid. *Dn. Furſtener. c. XI.* Quin & in Ducatu Wurtembergico Chriſtophoro demum Imperante ponderum illa & menſurarum conformitas cœpit, teſte *Beſoldo præcogn. pol. 1. c. 8. n. 5.* poſtquam pridem Eberhardum Cæſar Principem fecerat, conjunctis variis Provinciis ac Territoriis, ut ex omnibus fieret unum, quod par eſſet ſuſtinendæ dignitati. Juxta alios quosdam Incorporatio in genere definiri poterit per unionem plurium rerum ad idem Dominium utile. Ita velle *Roſenthalius c. 9. m. 1. c. 56. n. 14.* videtur, cum unitatem alicujus Territorii conſervari ſcribit, ſi facta quocunque modo diviſione adminiſtrationis Dominium utile penes unum ſolum remaneat. Sed rurſus non deeſt, quod adverſus hanc ſententiam urgeatur. Nam primo ad res feudales hoc pacto Incorporatio reſtringitur: rerum allodialium ſimilis unio eſſe non poterit. Deinde obſcuritatem talis definitionis merito quis accuſet. Denique Incorporationis fimbriæ nimis ampliantur, dum ipſi etiam feudorum minorum conjunctioni illa vox ſenſu explicato competit, quam tamen ab hác Tractatione ſemovendam duximus. Rejectis autem ſic aliorum definitionibus Incorporationis generatim ſumtæ, accuratæ ta-

men alius omnibusque abſolutæ numeris inveſtigationem relinquimus illis, quos ea curioſitas delectat. Suffecerit qualiscunque deſcriptio, qua Incorporatio dici poterat duarum aut plurium provinciarum vel civitatum talis conjunctio, ut una è pluribus provincia vel civitas fiat. Species autem Incorporationis ſingulas exactius declaraturis liceat ordine inverſo ab earum ultima incipere. Sicut enim civitas perfectiſſimum corpus eſt, & propterea aliorum minorum cognitionem promovet; ita Incorporationis etiam poſtremæ notitia reliquas explicandi viam aperiet.

§. 19. Statuimus ergo, quando hodie duo Territoria Germaniæ ſive duæ Civitates perfectæ per Incorporationem uniuntur, momentum iſtius actus conſiſtere in unione Superioritatum Territorialium. Nam ſicuti naturæ contemplatio nos docet unicam formam in unico corpore habitare, plura corpora viventia non niſi à pluribus animabus regi; ita unitas cujusque civitatis ſive corporis moralis perfecti non in alio quam unitate majeſtatis recte quæritur. In una civitate unum eſt Imperium: plura corpora moralia pluribus Majeſtatibus numero diſtinctis neceſſe eſt animari. Quod ſi Majeſtatem, quam animam corporis civilis vocavimus ſecuti in eo Hobbeſium, qui in *Proœmio Leviathanis* civitatem nominat hominem artificialem, & cum naturali eleganter comparat, alii caput appellare malint, eis equidem non repugnamus, credimus tamen, quando plura Regna diſtincta unum Regem agnoſcunt, ſicuti eo caſu juxta priorem loquendi modum, in una perſona plurium corporum moralium plures animæ, hoc eſt, plurium civitatum plures majeſtates

jeſtates cumulantur; ita ſi cui poſterior dicendi ratio arrideat, non uni capiti plura corpora moralia ſubjici, ſed potius in una regis perſona ſive in uno capite phyſico concipienda eſſe plura capita moralia. Quo pacto cadit illud πολυθρύλλητον: *In moralibus, ſecus ac in phyſicis, plura corpora aliquando unum habere caput.* Nam ſi caput phyſicum intelligitur, facto in aliud genus ſaltu, non eſt inſuetum, plura corpora phyſica unum habere caput morale; ſin de capite morali ſit ſermo, ab uno plura pendere corpora poſſe penitus negatur. Hæc ut leviora & verborum contentiones videri poterant, ſunt tamen revera alicujus momenti. Dum enim plures per Germaniam Regiones uni procerum ſubjiciuntur, quamdiu ipſe in ſingulis Superioritatem diſtinctam retinet, tamdiu diſtincta manent Territoria; in unum autem omnia coëunt, quamprimum una omnibus præſidere Superioritas incipit. Ex unitatis enim ſtatu de unionis actu; è majeſtate, anima civitatum, de Superioritate Territoriali, anima civitatum Germaniæ, capiendum eſt judicium. Loquimur autem hic imprimis de Superioritate Territoriali univerſa ſive tota. Quid ſtatuendum ſit cum quis pauca tantum jura in Territorio poſſidet, deinde videbimus. Interim è dictis intelligitur Incorporationis formalem rationem in unione Superioritatum conſiſtere, quo pacto formatum eſt unitas civitatis, effectus partim à ſola forma, partim à toto compoſito provenientes una civitatis adminiſtratio, eædem leges, idem regimen, de quibus omnibus ſuo loco agemus. Qua ratione, quoque modo ad unitatem Superioritates Territoriales reducantur, tunc conſtabit, quando deciſum fuerit, à quo Incorporatio peragi ſoleat.

 §. 20. Non

§. 20. Non eſt, quod multis moneamus aut demonſtrare conemur circa Summarum in Germania Poteſtatum coalitionem requiri, ut omnes ſint ejusdem ordinis. Ita enim in rebus phyſicis, è quarum genio morales rectè æſtimamus, res plures, quarum diverſa & contraria eſt natura, nunquam perfecte uniuntur. Poterat ergo dubitari, an Majeſtas cum Superioritate Territoriali coaleſcere, hoc eſt, an Territorium aliquod Imperii Germanici cum Regno externo in unum compingi corpus queat. Sed cum nunc de ſolius Germaniæ Territoriis, è quibus nullum Majeſtate plena fulget, agendum ſit, iſta quæſtio, ne à ſcopo aberremus, ſeponetur. Cæterum Incorporatio nullum quidem reſpectum involvit ad modum regiminis, neque tantum in una perſona ſummi Imperantis ad perfectam unitatem rediguntur Territoria, ſed aliquando ſic coaleſcere poſſunt, ut duo pluresve domini, qui antea diſtincta Territoria monarchice regebant, nunc unita ariſtocratice gubernent, aliquando etiam è duabus ariſtocraticis Rebuspublicis aut binis democraticis fiat unica: quoniam tamen in Germania fere non aliud Incorporationis exemplum nobis ſuppetit, quam quo è pluribus Territoriis uni perſonæ parentibus, quæ antea laxiori unione, *Subjectionis* vocare liceat, tantum juncta erant, poſtmodum una Civitas facta eſt, de hac ſola quoque Incorporatione loquemur. Quo pacto, ut Incorporatio ſenſu hactenus declarato fieri poſſit, neceſſum eſt, *primo* plures regiones uni perſonæ ſubjectas eſſe; *deinde* huic perſonæ competere jura Superioritatis æqualia in dictis regionibus; ac *tertio* nullum extrinſecum impedimentum Incorporationi obſtare. Generalis

lis igitur hæc propoſitio ex iis, quæ hactenus de formali Incorporationis diſſeruimus, facilè demonſtratur; *In quibus Regionibus quis ſumma Superioritatis jura poſſidet, eas eſſe Incorporationi aptas.* Nunc autem explicabimus per aliquot concluſiones ſpeciales varietatem Territoriorum, quæ in Germania perfectiſſima unione jungi poſſunt.

§. 21. *Duæ civitates, quarum utramq; Status Imperii ita plene poſſidet, ut univerſum diſtrictum & omnia jura ipſamque Summam Poteſtatem feudi nomine ab Imperio teneat, cæteris paribus incorporari poſſunt.* Offert ſe hoc loco quæſtio, unde probari poſſit, competere alicui Domino Superioritatem in ea provincia, quam ab Imperio nomine feudali tenet? Ubi abſque dubio reſpiciendum eſt ad modos, quibus Superioritatem ab Imperatore Status acquirunt, videndumque, utrum illorum uno ad aliquem ea Poteſtas pervenerit. Tales modi vulgo quatuor nominantur à Doctoribus; *Imperatoris Conceſſio, Præſcriptio, Electio & Succeſſio.* Verum poſteriores duo, quoniam ſunt, (prout quidem Electio hic ſumitur,) derivativi non originarii, commode referuntur ad priores duos, ut ita omnis etiam probatio deſcendere ex alterutro capite debeat. Imperatoris Conceſſionem probabit potiſſimum forma Inveſtituræ. Excutiendæ igitur erunt literæ de Inveſtitura dari ſolitæ, an in iſtis expreſſa ſit Superioritatis & & omnium jurium collatio. Conſuetam formulam exhibent Scriptores paſſim. Quod ſi præter collationem diſtrictus nulla ſummorum jurium aut Superioritatis facta ſit mentio, conſtet autem vel ex iisdem literis vel aliunde, Regionis dominum reſpectu ejusdem cooptatum

§. 20. Non eſt, quod multis moneamus aut demonſtrare conemur circa Summarum in Germania Poteſtatum coalitionem requiri, ut omnes ſint ejusdem ordinis. Ita enim in rebus phyſicis, è quarum genio morales rectè æſtimamus, res plures, quarum diverſa & contraria eſt natura, nunquam perfectè uniuntur. Poterat ergo dubitari, an Majeſtas cum Superioritate Territoriali coaleſcere, hoc eſt, an Territorium aliquod Imperii Germanici cum Regno externo in unum compingi corpus queat. Sed cum nunc de ſolius Germaniæ Territoriis, è quibus nullum Majeſtate plena fulget, agendum ſit, iſta quæſtio, ne à ſcopo aberremus, ſeponetur. Cæterum Incorporatio nullum quidem reſpectum involvit ad modum regiminis, neque tantum in una perſona ſummi Imperantis ad perfectam unitatem rediguntur Territoria, ſed aliquando ſic coaleſcere poſſunt, ut duo pluresve domini, qui antea diſtincta Territoria monarchice regebant, nunc unita ariſtocratice gubernent, aliquando etiam è duabus ariſtocraticis Rebuspublicis aut binis democraticis fiat unica: quoniam tamen in Germania fere non aliud Incorporationis exemplum nobis ſuppetit, quam quo è pluribus Territoriis uni perſonæ parentibus, quæ antea laxiori unione, *Subjectionis* vocare liceat, tantum juncta erant, poſtmodum una Civitas facta eſt, de hac ſola quoque Incorporatione loquemur. Quo pacto, ut Incorporatio ſenſu hactenus declarato fieri poſſit, neceſſum eſt, *primo* plures regiones uni perſonæ ſubjectas eſſe; *deinde* huic perſonæ competere jura Superioritatis æqualia in dictis regionibus; ac *tertio* nullum extrinſecum impedimentum Incorporationi obſtare. Generalis

lis igitur hæc propoſitio ex iis, quæ hactenus de formali Incorporationis diſſeruimus, facilè demonſtratur; *In quibus Regionibus quis ſumma Superioritatis jura poſſidet, eas eſſe Incorporationi aptas.* Nunc autem explicabimus per aliquot concluſiones ſpeciales varietatem Territoriorum, quæ in Germania perfectiſſima unione jungi poſſunt.

§. 21. *Duæ civitates, quarum utramq; Status Imperii ita plene poſſidet, ut univerſum diſtrictum & omnia jura ipſamque Summam Poteſtatem feudi nomine ab Imperio teneat, cæteris paribus incorporari poſſunt.* Offert ſe hoc loco quæſtio, unde probari poſſit, competere alicui Domino Superioritatem in ea provincia, quam ab Imperio nomine feudali tenet? Ubi abſque dubio reſpiciendum eſt ad modos, quibus Superioritatem ab Imperatore Status acquirunt, videndumque, utrum illorum uno ad aliquem ea Poteſtas pervenerit. Tales modi vulgo quatuor nominantur à Doctoribus; *Imperatoris Conceſſio, Præſcriptio, Electio & Succeſſio.* Verum poſteriores duo, quoniam ſunt, (prout quidem Electio hic ſumitur,) derivativi non originarii, commode referuntur ad priores duos, ut ita omnis etiam probatio deſcendere ex alterutro capite debeat. Imperatoris Conceſſionem probabit potiſſimum forma Inveſtituræ. Excutiendæ igitur erunt literæ de Inveſtitura dari ſolitæ, an in iſtis expreſſa ſit Superioritatis & & omnium jurium collatio. Conſuetam formulam exhibent Scriptores paſſim. Quod ſi præter collationem diſtrictus nulla ſummorum jurium aut Superioritatis facta ſit mentio, conſtet autem vel ex iisdem literis vel aliunde, Regionis dominum reſpectu ejusdem cooptatum

optatum eſſe in numerum Statuum, promtiſſime hinc ad Superioritatem colligitur. Certum enim eſt, dignitatem Status, ſaltem hodie, non cadere niſi in perſonam ejus, qui Superioritate Territoriali eſt in ea Regione, cujus intuitu ſuffragium in comitiis ſuo ordine ferre ſolet, inſignis. Hinc aliqui modis ante recenſitis Cooptationem in numerum Statuum adjecerunt, uti fecit Mingius, quod tamen neceſſe non eſt, cum referri ad primum modum poſſit tanquam Conceſſio tacita. Diſceptant autem Doctores, an Imperator, dum de Regalibus feudis aliquem inveſtit, veluti de Ducatu aut Marchionatu, tacite ſimul omnia Regalia ipſamque Superioritatem Territorialem in eas provincias concedat? Ad quam quæſtionem reſpondendum eſt cum diſtinctione. Aut enim Principatus & Marchionatus nomina de ſola dignitate capiuntur, & ita negandam eſſe exempla Principum Mediatorum & Titularium manifeſte docent; aut de ditione ac diſtrictu intelligenda ſunt, & tunc, dimiſſis quæ à Doctoribus in utramque partem variis argumentis & rationibus diſputantur, generatim affirmare conſuetudo Imperii recepta & conſtans jubet, in conceſſione Imperatoris cum Territorio regalis dignitatis ſimul tranſire jura & Regalia quævis, etiam Superioritatem, niſi expreſſe aliud placuerit, diſertisque verbis hæc poſtrema fuerit reſervata, aut collata in alium vid. *Roſenthal c. V. feud. q. 13.* qui prolixe oſtendit quo modo limitanda ſit hæc ſententia, quam defendunt *Reinking. de reg. ſec. & eccl. l 1, cl. 4. c. 16. n. 46. Knichen de Sax. non prov jure. verb. Duc. Sax. c. 4 59. Mingius de Super. Territ. th. 9. &c. & alii.* Præſcriptio, quæ inter modos acquirendæ Superio-

perioritatis ponitur, intelligenda eſt procul dubio ea, cujus terminus per vetuſtatem ignoratur. Hæc uti alias inter plures gentes Territoriorum confinia ponit, ita eos etiam, qui civili obligatione vinɑ̃i ſunt, in libertatem vendicare poteſt, militante utrobique ejusdem præſumtionis juſtitia, ut oſtendit *Grotius de J B. & P. l. 2. c. 4. n. 7. ſeq.* Interim talis Præſcriptionis titulus ad hanc primam concluſionem vix quadrat tanquam modus probationis. Loquimur enim de Regionibus, quas una cum Superioritate Territoriali quis ab Imperio nomine feudali tenet; Præſcriptio autem allodiali fere titulo alicui Superioritatem largitur. Mingius modis ſupra recenſitis adjicit Subjectionem voluntariam, quæ quidem ad primum modum itidem referri poteſt, duplici autem caſu Superioritatis argumentũ præbet. Primum enim quando quis Superioritate pollens ſe ſubditum Status alicujus in Imperio profeſſus eſt, eo ipſo novo Domino attuliſſe Superioritatis jura intelligitur. Deinde cum quis Princeps externus Imperio Germanico ea lege acceſſit, ut in Ordinum eſſet numero, Superioritatem talem, quali omnes, qui Imperii membra & Status ſunt, pollent, eo actu conſecutus cenſetur, non obſtantibus etiam verbis plenæ alias ſubjectionis, Nihil enim aliud ad Imperium transferre præſumendus eſt, quàm quod ipſum in reliquis feudis ſuis obtinet. Ubi autem prædictarum rationum una docet, duo Territoria ita plene aliquem poſſidere, ut & diſtrictus & Jura quævis ab Imperio lege feudali agnoſcat, diximus ea incorporari apta eſſe *cæteris paribus* h. e. niſi lex ſive pactum aliquod hujusmodi unionem prohibeat.

P *§. 22. Duæ*

§. 22. *Duæ Civitates Germaniæ, quas quis una cum Superioritate Territoriali quidem, ſed ita poſſidet, ut alteram ab Imperio lege feudali, alteram jure allodiali habeat, incorporari hoc eſt in unum corpus redigi poſſunt.* Duo Regna quorum alterum jure proprietario alterum jure vaſallitico ad Regem pertinet, dubium non eſt ita poſſe conjungi, ut fiant unicum. Conſiſtit enim Regnorum conjunctio non in alio, quam unitate Imperii, nexus autem feudalis Majeſtatem non tollit, ut oſtendit §. 12. Tum vero poſt confuſionem etiam ſalvum utrinque jus eſſe poteſt, ut pars novi Regni ſit propria, pars feudum eſſe agnóſcatur. Interim tamen exemplum hujusmodi Regnorum, quæ unquam coaluerint, vix proſtat, quoniam videlicet in tali unione poſt quævis pacta altera pars adhuc metuit, ne ſucceſſu temporis dominus directus feudi Regno proprio uniti de dominio directo in univerſum novum Regnum diſputet, ipſumque ſibi tacite oblatum contendat; altera timet, ne vaſallus eam libertatem, quam in Regno proprio obtinebat, in feudo quoque unito ſibi aſſerere conetur. Saltem emergentibus diſſidiis non aliud facile arbitrium, quam armorum, admittetur, verendumque erit, ne vaſalli potentiores eam vocem faciant ſuam, qua Edwardus Walliæ Princeps Carolo, ſe Pariſios evocanti, reſpondet apud *Froſſardum l. 1. p. m. 60.* Sed Civitatum Germaniæ præfato modo ſe habentium conjunctionem ſæpius factam hiſtoriæ teſtantur, comprobatque aſſertionem *Dn. Rhetii* experientia, vix aliquod in Germania Territorium occurrere, cui non ſint allodiales terræ immixtæ *1. F. 3. n. 19. p. 189.* Eſt autem Territoriorum allodialium triplex

potiſ-

potiſſimum varietas. Aut enim ſolus diſtrictus eſt allodialis, Superioritas autem lege feudali ab Imperio habetur; aut diſtrictus eſt feudalis, Superioritas vero in allode; aut utrumque jure optimo maximo poſſidetur. Exempla proponunt *Beſoldus Th. pr. p. 546. & 282. Schüzius vol. 1. exerc. VI th. 8* & *Itterus de feud Imp. c. 5 n 4. c. 8. n. 17. & alibi paſſim.* Noſtra Concluſio ad cujusvis generis Bona allodialia quadrat. Quod Territoria concernit, ubi Superioritas à feudali Imperatoris liberalitate habetur, ea incorporari poſſe nullum ſupereſt dubium, ſiquidem Incorporatio proxime terminatur ad unitatem Superioritatum, quas hoc caſu ejusdem plane ordinis eſſe conſtat; conf. §. *præced.* Quantum autem ad Territoria plene allodialia attinet, ipſa certe Superioritas allodialis, quam ita appellare à modo habendi liceat, diverſi generis non eſt à Superioritate feudali. *Non minus ipſa*, inquit *Beſoldus part. III. Jur. publ. poſth. c. 5. p. 250. quam feudalis eſt ſub Imperatoris & Imperii autoritate, ac originarie eundem fontem cum feudali agnoſcit.* Quod ſi conſtet quidem dominum terræ allodialis eſſe in poſſeſſione ſummorum jurium Territorii, dubitetur autem utrum ea Superioritas ſit & ipſa allodialis, an feudalis, pro qua parte militet præſumtio, à Doctoribus varie diſceptatur; dum nonnulli generale axioma juris Feudalis 2. *F.* 41. juxta quod omnia bona allodialia & libera reputantur, ad Jurisdictionem quoque & Superioritatem Territorialem referunt, conf. *reſponſum Facult. Jur. Tubing.* quod exhibet *Beſoldus Theſ. pract. l. a. p. 567. & 568.* vide etiam *Menochium de præſumt. III. 91. 8. Sixtinum de rega-*

libus l. 1. c. 4. n. 60. & Roſenthalium c. XII. concl. 14. n. 15. Alii Jurisdictionem omnem in dubio feudalem eſſe contendunt, de quo vide *Mozz. de nat. feudi n. 12. lim. 17. Ant. Fabrum part. 1. conſult. de Marchion. Mont. p. 39. ſeq. Molinam ad conſvetud. pariſ. tit. l. §. 46. n. 31.* qui ſpeciatim id in Regno Galliæ ita obtinere teſtatur. Sane ſi ad mores & obſervantiam Imperii potiſſimum reſpiciendum eſt in dijudicandis litibus de illuſtribus beneficiis, (conf. *Conring. de orig. jur. Germ. c. 33.* Eitel Friederich von Herden Grundfeſte *p. 2. c. 5. p. 114. c. 10. p. 189. & alibi,*) cum omnis Superioritas Territorialis ab Imperatore veniat & communiſſimus regalia conferendi modus ſit infeudatio, feudalis etiam collatio potius, quam donatio præſumatur, iis facilius accedimus, qui feudalem Superioritatem, quam qui allodialem in dubio credendam dictitant, conſul. *Knichen de Jur. Territ. c. 1. n. 86. & Beſoldus l. all. p. 542. lit. 6.*

§. 23. *Duæ Civitates, quarum regalia & jus ſummum ſimulq; unius diſtrictum ab Imperio, alterius diſtrictum ab Imperii vaſallo lege feudali quis agnoſcit, uniri ſive incorporari adhuc poſſunt.* Vulgata res eſt, in Imperio Regiones dari, quarum diſtrictum Dominus à Duce, Comite aut alio Imperii vaſallo, ſed Superioritatem ab Imperio vel etiam tanquam allodium poſſideat. Quoties vero hoc ipſum & qua ratione eveniat, ut diſtinctius ſciatur, juvat varios in Imperio feuda conſtituendi modos conſiderare. De feudis oblatis communem Doctorum ſententiam *Beſoldus* his à *Petro Matthæo* mutuo ſumtis verbis eloquitur: *In bonis quæ ultro, cum allodium eſſent, vaſallus feudalia facit, Do-*

minus

minus fere clientelare tantummodo jus acquirit; *de ſtat. Reip. ſubalt. c. 1. inf.* Ita ſuperioribus temporibus devotionis quodam ardore acti Germaniæ Principes Eccleſiæ atque Epiſcopis bona in feudum frequenter obtulerunt, conf. der Löwenſteinſche Gegenbericht *contra* Würtzburg *c. 1. in princ.* Nec aliunde forte eſt, quod à Bambergenſi Præſule in hodiernum diem terras nonnullas Electores & Principum alii feudali titulo recipiunt; quanquam *Megiſerus ann. Car. l. 7. c. 6. p. 687.* Henricum II. Epiſcopatus Bambergenſis fundatorem Principes præcipuos Præſuli huic tanquam vaſallos ſubmiſiſſe teſtatur. Dubitari hic poterat, ſi quis Princeps quos vaſallos eos etiam ſubditos habere ſoleat, & per univerſum illud Territorium vel conſuetudine receptum vel lege cautum ſit, ut quicunque titulo feudali bona poſſidet, non directum modo dominium, ſed etiam imperium ejus Principis agnoſcat, & contingat poſtmodum, allodiale caſtrum aliquod ultro in feudum Principi offerri, annon hoc ſaltem caſu Territorialem Superioritatem ſimul tranſtuliſſe vaſallus videatur? Veruntamen libertatis ille favor, quem tantum ubique tam in privati, quam publici juris regulis invenimus, adhuc pro Vaſallo pronunciare jubet, niſi manifeſte conſtet, ipſum de peculiari lege vel conſuetudine ſufficienter fuiſſe edoctum, eamq; non ignoraſſe cum bonorum naturam immutaret. Ut ad feudalium beneficiorum collationem veniamus, ſolet ea in Imperio vel à Cæſare vel à Statibus fieri. Quæ à Statuum liberalitate proficiſcuntur feuda, ſunt plerumque & regulariter, forte tamen non ſemper, absque Superiotate. Secus vero de his ſentiendum eſſe, quæ Impera-

tor largitur, è *§. 21.* patet. Contingit nonnunquam, Imperatorem univerſi Imperii nomine certam terrarum portionem cuidam Statuum ea lege conferre, ut de ipſa ab alio ſui ordinis inveſtiatur. Et tunc quidem Superioritatem Territorialem vaſallo fere una cum diſtrictu concesſiſſe, tertio autem ſolum jus prohibendi alienationem feudi & occupandi apertum tribuiſſe præſumitur, niſi expreſſe aliud actum conſtet, conf. *Strauch diſſ J.P X. th. 21.* Nemo interim juris feudalis privati regulas & ordinariam feudorum naturam nobis hic objiciet, cum ab illa ad bonorum Imperii rationem peculiarem argumentari non liceat & unice Germaniæ conſvetudo reſpicienda ſit, (vid. §. *præcedentem in fine.*) quod exemplis paſſim proſtantibus probari poteſt. Ut ad concluſionem noſtram redeamus, demonſtrant eam duo *§. proximi 21. & 22.* è quibus tanquam conſectarium fluit. Si Superioritas fingitur utrobique eſſe feudalis, ut ſupponit concluſio, ab Imperatore eodem modo collata, uniri duas invicem poſſe §. *21.* deduximus. Quoniam autem monitum fuit §. *22* Superioritatem allodialem & feudalem non eſſe diſtinctorum ordinum; hinc concluſio procedit etiam de Superioritate allodiali. Quo pacto novi caſus variè effformari ad ſimilitudinem præcedentium poſſunt.

§. 24. *Duæ Civitates, in quibus univerſali jurisdictione & Superioritate quis fulget, etiamſi alterius vel utriusque diſtrictus penes alium ſit, incorporari reſpectu ejus, qui Superioritate eximius eſt, poſſunt.* De hac Concluſione Superioritatem quod attinet nullum eſſe dubium poteſt. Obſervandum vero eſt, ſpectante ad alium Regionis diſtrictu, adhuc penes eum, cui relicta

licta ſunt ſumma jura & Superioritas, ipſam Regionem quodammodo remanere. Sicuti enim Jurisdictio absque terris, in quibus ſe exerat, concipi non poteſt, quod veteres ſimilitudine nebulæ ſupra paludem natantis per activam potentiam expreſſerunt (conf. *Reſp. JCtorum Tubing. apud Beſoldum Theſ pract. p. 547.*) ita cui Superioritatis jura in Regione competunt, is certa ratione ipſam Regionem poſſidet. Jam per Germaniam non eſt rarum, unius Regionis plures eſſe dominos, ut alius diſtrictum, alius inferiorem jurisdictionem, alius jura regalia, alius Superioritatem ſibi vindicet, conf. *Mingius n. 18 de ſup. territ.* Et accidit quidem talis diviſio multis modis: v. g. quando Regionis ſolum allodiale ad heredes allodiales, jurisdictio titulo feudali poſſeſſa ad alios tranſiit; vel vice verſa jurisdictio titulo allodiali translata eſt, de diſtrictu interim illi, ad quos ſucceſſio pertinuit, infeudati ſunt, vel porro quando Regionem fratrum alter una cum jurisdictione & Regalibus quibusdam, alter Superioritatem ſub lege fiduciæ nanciſcitur. Quod poſtremum maxime eſt frequens in illis Familiarum illuſtrium, quæ jure Primogeniture utuntur. Junioribus enim Principibus certæ aliquando Ducatus partes pro Appanagio aſſignari contingit reſervata Seniori Principi Superioritate & Præeminentia tanquam Domino univerſali. Qualia vero jura penes illum, cui Superioritas in aliqua Regione competit, reſideant, & quibus limitibus hæc à jurisdictione ac regalibus, quæ cum proprietate & uſufructu patrimoniali Fratrum Junioribus concedi ſolent, ſeparetur, non ita facile eſt definire. Excutienda erunt inſtrumenta pactorum, conventionum aut ordina-

ordinationum, quibus facta eſt diviſio, ut appareat, utrum vel diſtinctis verbis adſcribatur Primogenito Jus Territorii ſublime, vel aſſignatis ipſi partibus potioribus actus reliquorum jurium Poſtgenitis non tam ſuo quam alieno nomine edendi relinquantur; repet. quæ §.15. diximus, & conf *deduct. Controverſiæ inter Ducem Neoburgicum & ejus Fratres, quam hi in Comitiis Ratisbon anno 1641. Statibus Imperii exhibuerunt.* Extat apud *Limneum Tom I. add. ad l. 5. c. 4. p. 725.* vid. *Dn. de Seckend. T. F. St. part. 2. c. 3. n. 4.*

§. 25. *Quando duæ ſunt Civitates, quarum unam aliquis plene h. e. cum Regalibus & Jure Superioritatis, alteram ita poſſidet, ut diſtrictum ab alio Imperii Vaſallo ſub lege fiduciæ habeat, Superioritas penes eundem Vaſallum infeudantem ſit; tum incorporari non poſſunt.* De hujus quidem aſſertionis veritate facile conſtat. Aut enim intelligitur poſt factam Unionem Superioritas, qua quis in altero duorum Territoriorum eſt inſignis, alteri Territorio, quod ad ipſum absque Superioritate pertinere ſuppoſitum eſt communicari, & hoc pacto duplex eſſet in eodem Territorio, vel poſt Unionem in eadem Territorii parte, Superioritas completa, Vaſalli mediati, & immediati, quod eſt abſurdum; Aut poſt Unionem absque Superioritate Provincia manet ut ante iſtam, & hac ratione unius totius pars eſt cum Imperio, altera absque illo, quod tamen fieri non poſſe argum. *l. 29. ff. de exc. rei jud.* probant Doctores, vid. *Nic. Boerium Dec. N. n. 17.* Sed quid ſi Imperii Vaſallus immediatus Vaſallo ſuo Superioritatis jura, quæ ipſe vel ab Imperio titulo feudali, vel tanquam allodium poſſidet, largiri ſub lege fiduciæ velit, num

ſaltem

ſaltem eo caſu poterit tale Territorium cum alio, quod feudum Imperii immediatum eſt, copulari? Neganda eſt quæſtio, ſi illorum ſententiam admittimus, qui jus Superioritatis tanquam ex ſpeciali Imperatoris conceſſione proveniens oſſibus Ducum aliorumque Statuum dicunt adhærere & reſidere apud ipſos inſtar ſcabelli pedum eorum, conf. *Mingium de Sup. Territ. num. 55.* Hinc enim ſequitur, jus illud nunquam ita derivari in alium, quin aliquid penes ſubinfeudantem remaneat: & tandem concluditur, Superioritatem ab Immediato Imperii Vaſallo per viam Subfeudi profectam non eſſe ejusdem ordinis cum Superioritate, quam Imperator concedit, adeoque nec concreſcere cum hac poſſe. Alii vero cum *Vietore de exemt. Imp. concl. 28.* Longobardicæ ſubinfeudationis exemplum urgentes Principes Germanos ſubinfeudare & bona ſua una cum Superioritate Territoriali in Vaſallos transferre poſſe affirmant, quod nonnulli de his ſolis, qui ejusdem ſint dignitatis intelligendum eſſe dictitant, (conf. *Schützium Ex. VI. th. V. lit 1.* & *Dn. Rhetium 1. F 1. p. 78.*) & aliqui ad feuda regalem annexam dignitatem habentia extendi debere negant, de quibus conſ. *Itterus l. all. c 22. n. 5.* Enimvero quamvis comitatum Falckenſteinii, ad quem in hac controverſia communiter, qui *Vietorem* defendunt, provocant, pro Subfeudo proprie dicto haberi non poſſe credamus, eo quod Superioritatem Comitibus Falckenſteiniis olim quidẽ à Principe Lotharingico ſed ſimul quodammodo ab ipſo Imperio conceſſam appareat; tamen fortaſſis præfracte negandum non eſt, cum feuda Regalia integra, tum eorum partem Principes per ſubinfeu-

Q dationis

dationis actum una cum omni Superioritate, nihilo penes ipſos remanente, quod gratis *Mingius* & quidam alii aſſerere videntur, alienare poſſe. Quoties ergo tale quid conſtiterit factum eſſe, tam Regalia feuda integra, quam partem eorum reſpectu Subvaſalli feudis aliis, in quibus perinde ſumma jura exercet, jungi poſſe, nullum eſt dubium. Nam per propriam Subinfeudationem regulariter Unitas Territorii ſolvitur, & avelluntur partes à corpore antiquo ut novum corpus componere queant, id quod ſalva unitate illa non poterat evenire, conf. *Itterum loc. all.*

§. 26. *Vera Incorporatio non eſt, cum quis Territorium, in quo tantum quasdam Superioritatis partes tenet, alii Territorio, cui plena Superioritate præſidet, adjungit.* Dantur ſane Territoria, in quo aliquis Status Imperii Jura Superioritatis non omnia ſed tantummodo quædam exercet. Ita ſummam Poteſtatem circa Sacra ſive Epiſcopalem Jurisdictionem penes unum reſidere, reliqua penes alium eſſe, inter Proteſtantes vicinos inſuetum non eſt. Quod eo interpretari haud licebit, quaſi vel ex gratia aut conventione, vel ex beneficio Inveſtituræ peculiari certam ſervitutem Territorio alicui imponentis alter hoc jus ita exerceat, ut alteri nihilominus ſoli ſalva maneat omnis ſumma Poteſtas. Quanquam enim hujusmodi exercitium Regalium partim in Familiis Principum, quæ fratres poſtnatos appanagio proprie ſic dicto inſtruunt, partim alibi paſſim in Imperio inveniri nemo neget, tamen hinc concludendum non eſt, veram diviſionem jurium omnino fieri non poſſe. Çerte quando jura Superioritatis prima & maxime in-

inſignia inter plures diviſa ſunt, qualis exempli proxime meminimus, alterius portionem è gratuita aut conventionali conceſſione derivare vel è juribus Servitutis explicare ita non poſſumus, uti alias, cum jura, quæ exercentur, è minorum ſunt numero. Quod ſi ex æquo inſtituta ſupponatur partitio, unde quæſo, cui tribuenda ſit Superioritas, cujus item precarium ſit exercitium, dignoſcetur? Poſſeſſio diſtrictus litem definitura non eſt; &, quid ſi ille à Tertio vel allodiali titulo poſſideatur, vel tanquam in feudum recipiatur à Quarto? Faciamus ergo aliquem in certo Territorio tantum quibusdam partibus ſummæ Poteſtatis gaudere. Exiſtimamus ipſum tale Territorium, ſi maxime diſtrictus ſimul Dominus ſit, cum alio, cui plene præeſt, per Incorporationem proprie dictam jungere non poſſe. Vera enim Civitas verumq; Territorium è tali unione non reſultaret. Alioqui duplex Superioritas plena in civitate vel potius in civitatis una parte daretur, ſi poſtquam duorum jura Superioritatis diviſa poſſidentium alter Territorium commune civitati ſuæ junxiſſet, alter reſpectu jurium ſibi competentium novam ſuſcipere unionem vellet. Quod abſurdum eſſe jam antehac demonſtratum fuit. Interim conjungi omnino talia Territoria poſſe non negamus. Si quis enim ſummo Jure circa Sacra in certa Regione ſolo polleat, in alia juncto cum reliquorum omnium jurium numero, poteſt ſane talis unio fieri, ut è duplici jure circa Sacra fiat unum, & ita quodammodo è pluribus Regionibus fiat unum corpus, ſed irregulare & informe, ad civitatis regularis formam analogia quadam tanto propius accedens,

quanto quis in altero Territoriorum plus Superioritatis poſſidet.

§. 27. *Nulla contingit Incorporatio, quando quis in uno Territorio Superioritate pollet, in altero non pollet.* Hæc concluſio jam antea demonſtrata eſt: nunc ſolum adjicimus, Superioritate Territoriali inter immediatos non tantum carere Nobiles liberos in Imperio, verum etiam Principes proprie appanagiatos, de quibus § § præcedent. dictum. Carent etiam illi, qui in aliquo Territorio exercent partem Superioritatis tantum jure Regalium, de quibus & ipſis dictum §. proxime præced. Tales ſunt Epiſcopi nonnulli, in Civitate ſedis ſuæ, alioquin libera, jurisdictione gaudentes. Addendum denique eſt: *Duo Territoria Incorporationi apta haud eſſe, quorum unum vere ac perfecte quis posſidet, alterius autem nudus eſt detentor.* Oppignorata proinde Territoria, quousque reluitioni obnoxia ſunt, cum aliis uniri, quæ civiliter, non naturaliter tantum, poſſidentur, nequeunt. Quæ vero per Sanctiones publicas & Capitulationes Imperatorum revocari amplius non poſſunt, ea porro nihil incorporari prohibet, cum veram Creditores poſſeſſionem per dictas Sanctiones nacti ſint.

§. 28. Nunc formalẽ rationẽ & terminos reliquarũ Incorporationum examinare decet; in quo quidem perficiendo ea, quæ de Incorporationis ſpecie tertia hucusque diſſeruimus, non parum adjumenti præbent. Nam ſicuti formale Incorporationis iſtius contemplatio Civitatis ſuppeditavit; ita naturam aliarum è Provinciæ antea declarata duplici acceptione & deſcriptione cognoſcere licebit. In trium igitur periodorum,

rum, quas *§ 9. & 16.* memoravimus, prima Germaniæ Provincia erat Regio parva civitatis magnæ ſubalterno & vicario Regimine à Præſide Imperatoria voluntate conſtituto gubernata. Hinc ſequitur, Incorporationem tunc temporis frequentatam fuiſſe conjunctionem Provinciæ cum alia Regione ad unum regimen vicarium Magiſtratus à ſummo Principe nominati. Fieri ſane poterat, ut uni eidemque Præfecto plurium Provinciarum cura aliquando demandaretur; Sed talis benevolentiæ Imperatoriæ affectus unam illico Provinciam non reddebat. Neceſſe erat intervenire actum, qui regimen unum efficeret, & ſicuti Provinciæ omnes uni ſummo Capiti ſuberant, eoque ipſo unam Civitatem tanquam partes componebant, ita unum quaſi caput inferius, ſive unam formam partialem conſtitueret.

§. 29. Periodus Imperii altera Provincias ſiſtit, quæ erant illuſtrium civium Regiones hereditariæ ſub Civitate magna Imperii comprehenſæ, quibus illi propria quidem Autoritate præerant, ſub moderamine tamen ſummi Principis ſublimiorem potentiam quandam exercentis & per eam conſervantis unitatem ejusdem Civitatis. Incorporatio proinde iſti tempori propria fiebat per conjunctionem duarum Regionum ad eandem poteſtatem ab Imperatoris ſummi nutu dependentem. Atque ſic hujus Incorporationis formalis ratio erat unitas talis poteſtatis, formatum unitas Provinciæ, effectus eadem adminiſtratio dependens, de quibus poſtea differendi locus dabitur.

§. 30. Cæterum & reliqua ante dicta ſuo modo huc accommodari poſſunt. Incorporationi Perio-

di ſecundæ aptæ erant ſolæ Regiones, quarum Domini poteſtate ab Imperio dependenti pollebant. Hinc equidem concluſiones quamplurimas derivare licet; tres tamen ſolas hac vice efformaſſe ſufficiat.

§. 31. *Duæ olim Provinciæ, quarum una ſub ambitu Imperii Romano-Germanici comprehendebatur, altera iſtius magnæ Civitatis pars non erat, per Incorrationem in unam coaleſcere Provinciam non poterant.* Ratio hujus aſſerti non longe petenda eſt. Nam cum Provinciam Germaniæ corpus Civitati magnæ ſubordinatum ejusque partem antea dixerimus, ſequitur certe, è particulis, quæ ſub diſtinctarum Civitatum ambitu erant & diverſis Dominis parebant nec in ullo commune Imperium agnoſcebant, unam fieri Provinciam non potuiſſe.

§. 32. *Duæ Provinciæ, quarum alteram jure allodiali, alteram jure beneficiario Princeps poſſidebat, incorporari omnino poterant.* Trahendahuc ſunt, quæ §. 22. prolixius deduximus. Nam quod ibi de hodiernis Principum Territoriis allodialibus affirmatum eſt, habere ſe ipſa reſpectu Imperii perinde ut Territoria feudalia, nec Superioritatem allodialem à feudali ſpecie, ut vocant differre; id de Provinciis antiquis itidem pronunciari poteſt ac debet. Habebant igitur in allodialibus bonis Principes poteſtatem haudquaquam ampliorem, ac in feudalibus, in utrisque ſcilicet dependentem, & Imperatoris legibus ſubjectam.

§. 33. *Duæ Provinciæ, quarum uni Princeps poteſtate dependenti præerat, alteri vicario nomine imperabat, incorporari nequibant.* Satis hæc è dictis intelliguntur, nec quicquam ſuboriri difficultatis poteſt,

modo

modo recordemur, ſicut heterogenearum partium concurſus homogeneum corpus in rebus naturalibus nunquam efficit; ita in ſphæra entium moralium per Incorporationem è pluribus corporibus diverſæ naturæ unum, quod ſit ejusdem, generari nequit. Irregulare ergo corpus & monſtroſum prodiiſſet ex unione duarum Provinciarum diverſi generis, quale nullibi extitit, & cogitatione efformari vix poteſt.

§. 34. Diximus § *17*. duplicem Incorporationem Provinciarum, quam olim in Imperio factam hactenus oſtenſum eſt, ſuo modo etiam hodie contingere poſſe, id quod tribus verbis declarandum reſtat. Principio igitur Civitates Germaniæ ſive Territoria Principum civitatem magnam, qualis quondam erat, ut in aliis ſic in eo imitantur, quod perinde ut ipſa commodioris adminiſtrationis cauſa in provincias ſive præfecturas deſcribi ſoleant. Jam quoties has præfecturas vel conjungi integras, vel particulam unius antiquo corpori ablatam alii adjici ratio poſtulat, eodem modo conjunctio iſta perficitur, quo Incorporationem provinciarum peractam §. 28. demonſtravit; per unionem videlicet non Superioritatum, ſed Adminiſtrationis vicariæ & ſubalternæ. Porro Provinciis, quales Periodus ſecunda Imperii exhibuit, ſimiles nunc ſunt Regiones Germaniæ, quarum Domini ut Regalia pleraque exerceant, non gaudent tamen Superioritate Territoriali, illisque juribus, quæ à Summitate ſeparari vel nequeunt vel ſaltem non ſolent. Enimvero hos tales ſubditos illorum, penes quos eſt Superioritas, qua ipſi deſtituuntur,

tur, nemo dixerit, neque temere aſſeri poteſt, ita dependere ipſorum jura ab aliorum arbitrio, ut quondam per autoritatem Imperatoris limitabatur Principum hereditaria & propria poteſtas. Interim haud difficile fuerit invenire, in quo antiquæ illæ Provinciæ cum præfatarum Regionum hodierna conditione comparari queant.

§. 35. Inquirendum nunc eſt, penes quem in Imperio ſit incorporandi uno è tribus modo poteſtas. *Klockius (conſ. T. 1. c. 7. n. 754. & de contrib. c. 3.)* & magna Doctorum caterva unire, dividere & ſeparare Provincias ſupremi Principis juribus accenſent. Et hinc vulgo colligunt ſoli Imperatori per Germaniam relictum eſſe omne incorporandi arbitrium. Probatur eadem ſententia porro autoritate Juſtiniani, qui *Nov VIII.* illuſtrium officiorum conjunctionem ſibi reſervat, conf *l. 3. ff. de offic. aſſeſſ.* Et ulterius ex comparatione poteſtatis Eccleſiaſticæ cum Civili. Nam ſicuti Epiſcopatus majoraque beneficia ſacri Ordinis Pontifex unit; ita veroſimile fit, poteſtatem ſociandi Provincias Imperatori in ſolidum transſcribendam eſſe. Deinde Hiſtoriæ tot exempla paſſim ſuppeditant, quibus unitæ fuerunt Provinciæ nutu & autoritate Cæſaris, ut de jure ipſius dubitare amplius non liceat. Denique certum ſane eſt, inter jura ſolius Imperatoris recte poni poteſtatem largiendi privilegia illuſtria & dignitatem regalem: ſequitur ergo, quoties plura Territoria eo fine copulanda ſunt, ut poſt in Ducatum aut Comitatum evehantur, id quoque ipſum Cæſareæ Majeſtatis arbitrio unice eſſe relinquendum.

§. 36. Iſta fere ſunt, quæ ab aliis afferuntur.

Quibus ut conſtet, quantum inſit ponderis, diſtinctè procedentes de tribus incorporandi modis dicemus. Ac initio quidem Provincias, in quas antiquis temporibus deſcriptum fuerat Imperium, augere incorporando procul dubio ſolius Cæſaris erat, maxime cum quicquid etiam Provinciarum Præfecti agerent, non ſuo ſed Imperatorio nomine egiſſe cenſerentur. Illuſtrari hoc quodammodo poteſt è *Nov. VII. & l. 1. ff. de off. Aſſeſſ.* ante allegatis. In altera enim Imperator arbitrium de illuſtribus officiis diſponendi & ea conjungendi ſibi reſervat: In altera ſummum Principem ſolum dividere Provinciam unam in duas non obſcure docetur.

§. 37. Videamus an idem ſtatuendum ſit de Provinciis, poſtquam hereditaria eas, patrimoniali & propria, ſed dependenti adhuc poteſtate Proceres adminiſtrare cœperunt? Controverſia ſane illa è Jure communi feudali dirimenda videtur, quoniam hujus regulæ ad Bona Illuſtria iſtorum temporum ſic ſatis quadrant, ſecus ac ad hodiernum Statum Territoriorũ Germaniæ, qui omnino cum principiis Longobardicis conciliari nequit. Doctorum multa eſt diſputatio, unionem rerum feudalium temporis immemoralis vel minimum quadraginta annorum poſſeſſione præſcribi; & rem allodialem feudo ſic uniri, ut & ipſa feudum fiat, non ſolo actu Vaſalli recognoſcentis, ſed actu Domini inveſtientis, qui de Vaſalli intentione ſit abunde inſtructus. Hinc non pauci concludunt, unionem cujusvis rei cum feudo requirere actum Domini directi; Vaſallum ea, quæ pridem à ſe invicem diſtincta erant, non aliter in unum corpus compingere

 poſſe,

poſſe, quam uſu temporis longævi, vid. *Itterus de F. J. c.8. n. 23. p. 407.* Si tamen accuratius rem omnem expendimus, Doctores fere apparet curſum tot annorum non requirere, ut feuda duo ab eodem Vaſallo poſſeſſa coaleſcant, ſed ut rem alienam infeudari ſolitam Vaſallus feudo ſuo jungat, & utile in ea Dominium naciſcatur, conf. *Roſenth. c.6. concl. 77. n. 2. & ſeqq.* Saltem Textus *2. F. 26. §. 4.* ad quem provocari ſolet, de præſcriptione non unionis ſimpliciter, ſed unionis rei alienæ agit. Quod res allodiales concernit, eæ quidem, ut immutata natura ſua feudales fiant, tam Domini quam Vaſalli actus evidentes requirunt; *Molina de conſu. Pariſ. tit. 1. §. 1. gl 5. n 108. ſeq. Schrad. de feud p. 2. p. 9. ſect. 4. n. 6. ſeq. Schoner diſp. feud. II. th. 64. &c.* ſed quo in unum corpus tantummodo coëant cum rebus feudalibus, tantum abeſt, ut opus ſit actu Domini directi, ut ſola deſtinatio Vaſalli & cujusvis Patrisfamilias abunde ſufficiat. Hanc ſententiam & legum autoritate adſtruit & Doctorum teſtimonio communi roborat *Roſenth c 10. c. 43. n. 29. ſeq.* Unde dicendum ad quæſtionem à nobis propoſitam videtur, Principes alioſque Imperii Proceres antehac Provincias ſuas pro arbitrio & beneplacito unire potuiſſe. Et ita ſane ſæpenumero factum fuiſſe, ſcilicet ut particularia ſaltem bona Proceres majori Provinciæ privatim adjicerent, non obſcure innuit ampliſſima Poteſtas, ad quam ipſi paulatim & fere nemine ſentiente adſcenderunt, conf. *Obrechti Prodr. rer. Alſ. p. 296.* Majoris tamen momenti Bona à Cæſare ad Illorum petitionem nonnunquam unita, non eſt nimis rigide negandum; quanquam lucem in hac controverſia antiquitas caliginoſa non oſtendat.

§. 38.

§. 38. Incorporandi actum aliquem diſtinctum & ſolennem Principes illis temporibus edere non attinebat, quum ſufficeret adminiſtrandi ratione teſtari ſe velle, ut Provinciæ eousque ſeparatæ exinde pro una habeantur. Pacta tamen & ſtipulationes Subditorum, quas in omni negotio Incorporationis propter rationes poſt exponendas attendi par eſt, aliquando forte ſolennitatis quid poſtulabant.

§. 39. De Incorporatione Territoriorum Germaniæ magis adhuc perplexa eſt diſputatio. Quicquid tamen alii ſenſerint, quorum opiniones hic prolixe enarrare non placet, Statibus uniendi poteſtatem liberam relinquendam eſſe ampliſſima ipſorum Jura, & arbitrium, quo in Territoriis pollent, ſatis evincunt. Ea vero Incorporationis exempla, quibus Imperatorem univiſſe Bona Germaniæ Illuſtria ex hiſtoriis diſcimus, partim ſolennitatem & utilitatem, non neceſſitatem demonſtrant, partim propter nonnullas circumſtantias pro ſingularibus & extraordinariis merito habentur. Hujus poſterioris generis ſunt, quando Fridericus Ducatum Luneburgicum, Maximilianus Wurtembergenſem erexerunt, inque eum finem prævio Incorporationis actu complura Territoria coacervarunt. Quanquam enim novas dignitates alicui Familiæ largiri, aut certo Territorio annectere nemine diffitente ſit è reſervatis juribus Imperatoris; tamen quæ iſtius juris exercitio per accidens adhærent, eandem naturam non illico induunt, nec exinde ſtatim Reſervatorum numerum augere incipiunt. Alii Imperatoris Incorporantis actus ita explicari poſſunt ac debent, ut autoritas Cæſaris dicatur rogatu Principum ac Domino-

rum ſolennitatis, utilitatis, majoris certitudinis & facilioris probationis cauſa interveniſſe. Quo facit quod ejusmodi actus plerumque Electores aliique Principes ſuo teſtimonio roborarunt. Ita quum anno 1355. Carolus IV Bohemiæ Poloniam, Sileſiam, Moraviam & Luſatiam incorporaret, factum id non tantummodo cum conſenſu omnium Principum memoratur in ea Sanctione, quam exhibet *Goldaſtus* inter Conſtitutiones Imperiales *T. 1. p. 345.* verum etiam peculiaris adhuc confirmatio Gerlaci ArchiEpiſcopi Moguntini acceſſit, cui veroſimile eſt ſubſcripſiſſe alios Electores; vel certe ſinguli ſingulas literas eodem tenore exararunt, quale quid factum perhibet *Goldaſtus p. 351.* cum idem Carolus decretum de jure & ſucceſſione Electorum Palatinorum Norimbergæ ſcripſiſſet. Hinc autem, qui in præſenti controverſia contrarii nobis ſunt, non magis evinci putant, Imperatorem vel Electorum conſulere Collegium, vel omnium Statuum conſenſum rogare debere, quoties Civitatem unam alteri individuo nexu jungere placet; quam è facto Friderici I. cum Marchiam Auſtriæ in Ducatum commutaret, conſilium, aſſenſum & approbationem Statuum adhibentur, probatur, Juribus Imperatoris ſolius non recte accenſeri jus creandi Reges, Duces, Principes &c.

§. 40. Quanquam ergo non male Status curent plura Territoria diſtincta ſuo arbitratui ſubjecta ab Imperatore ſolenniter uniri, imo ut ita faciant, propter rationes mox allegandas conſultius videatur; tamen abſolutam neceſſitatem hic neutiquam admitti poſſe exiſtimamus. Nam ſi libera ac independenti autoritate ſingulis Regionibus ſeparatim Sta-

tus

tus imperant, non apparet, cur deneganda ipſis ſit facultas omnibus illis in unum corpus junctis ſimul imperare. Quod enim, quando plures gentes pluresve populi coaleſcunt, ac civitatem primo componere intelliguntur, gentium & populorum voluntati & arbitrio relictum eſt; id ubi civitates jam formatæ ſunt, & certis legibus definita ratio adminiſtrandi, ab eo recte peragitur, penes quem ſumma rerum invenitur. Pertineat, quod *Klockius* & alii prolixe demonſtrant, ad partes majeſtatis unio provinciarum; concludendum certe eſt, hanc Statibus inter reliqua jura competere, quoniam inter Reſervata Imperatoris non reperitur. Iſthoc enim argumentandi genus nititur ampliſſima & univerſali Imperatoris conceſſione, quam ſola Reſervata limitant & reſtringunt. Qui maxime rigoroſi ſunt in denegando Statibus arbitrio uniendi, poteſtatem tamen ipſis relinquunt ſociandi cum ampliori, quod poſſident, Territorio feudali feuda quædam minoris momenti, quæ iſti ſua ſponte veluti accreſcunt, eum fere in modum, quo alluvio partem parti inſenſibiliter adjicit. Multo magis permittenda ipſis erit talium bonorum conjunctio, quibus ipſi optimo maximo jure præſunt, ne ipſorum conditio infra privatorum conditionem deprimatur. Per vulgatas enim conſuetudines feudales deſtinatio patrisfamilias efficit, ut res allodialis ſit de pertinentiis feudi, & prædio vendito, donato vel alio titulo translato ſimul alienata, tanquam rem unam cum illo conſtituens, præſumatur, quem in ſenſum explicari poterit. *l. 24. §. 2. ff. de leg. 1.* conf. *Roſenth. c. X. con 43. n. 28. ſeq.* & quos ille longo ordine recenſet. Sed nec ullus facile negaverit

conſolidationis quandam ſpeciem hic locum invenire, velut ſi quis tres quartas urbis cum ſumma poteſtate poſſideat, & deinde ultimam partem novo titulo nanciſcatur; aut ſi qua Regio in Territorio ſita, & hactenus ab illo quoquo modo cum jure Superioritatis avulſa, vel, ut ita dicamus, excorporata eidem iterum accedat. Quibus ſane caſibus ut Incorporatio fiat, ne quidem Domini immediati facto ullo opus eſt. Nos vero etiam duo Territoria majora & æque inſignia poſſe à Statuum quocunque arctiori unione colligari arbitramur, quoniam in ea utique poteſtas Statibus competit non minor, quam in bona particularia.

§. 41. Huic ſententiæ ſic expoſitæ adverſari videtur, quod ſupra agnovimus, particulam quandam Majeſtatis penes Imperatorem & Imperium in ſingulorum Statuum Territoriis privative reſidere. Inde enim colligi poteſt, Civitatum ſive Territoriorum Incorporationem fieri debere junctim per Imperatorem, Imperium & Statum. Sed nos jam non de unione Majeſtatum, verum de unione Superioritatum Territorialium loquimur, & in hac, non in iſta formalem Incorporationis noſtræ rationem poſuimus. Superioritas autem Territorialis plene eſt penes Principes alioſque Proceres Germaniæ. Fortius opponitur, quod ærarii publici rationes, quas multitudo Territoriorum dirigit, ejuſmodi conjunctionibus privatis turbari ſoleat vel ſaltem poſſit. Verum præterquam quod in bonorum particularium conjunctione cum Territorio majori fraus longe facilius ærario fieri queat, conf. *Roſenth. c. 7. concl. 44. n 47. &c.* (qua inſtantia

ſtantia adverſarios refellere licet,) ſicuti circa modum habendi Incorporatio, ut mox oſtendetur, nihil mutat, nec bonorum unitorum naturam ulla ratione inflectit; ita hac etiam in parte nihil metuendum eſt, nec ſemel facta publicarum collationum diſtributio poſt conjunctionem regionum prætextu unitatis poterit inflecti, ſi quidem per unionem bona non imminuuntur, ſed potius validiora & meliora fiunt. Porro autem iſta allegata ratio non aufert Principibus intrinſecam uniendi facultatem, quam aſſerere ipſi conati ſumus, ſed qualecunque impedimentum externum objicit unioni, ut intelligatur fieri eam absque conſenſu Imperatoris non poſſe. At vero nunquam negavimus conſenſum Imperatoris ad actum uniendi requiri; quin præter eum etiam conſenſum aliorum, quorum intereſt, intervenire oportet, & quidem vel expreſſum vel tacitum. Et propter hanc ipſam cauſam requiſiti conſenſus Imperatoris optime facient Status, ſi vel Incorporationem primum ab Imperatore fieri petant, vel certe à ſe factam confirmari quocunque modo poſtulent. Cui accedit, quod iſto pacto corporis novi unionem ſe conſervaturum, dilacerationem inhibiturum ipſe Cæſar tacite pollicetur. Ita cum Luneburgico Ducatuí à Dominis immediatis olim nova Territoria adjecta & unita eſſent, confirmatum id fuit ab Imperatore certa quadam clauſula literis Inveſtituræ inſerta, conf. *Dn. Eiben de Privil. Nobil §. 20.*

§. 42. Incorporationem ſive Unionem Superioritatum fieri per declarationem voluntatis ejus, qui incorporandi jus habet, cognoſcimus ex communi entium

tium moralium natura, quæ ab actu & impoſitione voluntatis originem ducunt. Declaratio illa fit vel verbis vel factis. Quoties Incorporatio Cæſarem autorem habuit, per Scripturam ſemper facta invenitur, ita quidem, ut modo peculiare diploma actum unionis deſcripſerit, modo literis majorem dignitatem alicui Territorio concedentibus prævia conjunctio fuerit inſerta. Illud factum eſt, cum Carolus Bohemiæ Sileſiam aliasque Regiones univit, & exhibet eam Sanctionem *Goldaſtus l. all.* Hoc accidit, quando Ducatum Luneburgicum Fridericus II. Wurtembergicum Maximilianus I. erexerunt, vid. Hiſtor. Braunſchw. Händel *part. I. c 2 p.29. Hortled. l. 3. de Cauſis Bel. Germ. c. 1 p. 610 ſeqq.* Juxta quorundam opinionem Territoria porro unit Imperator, dum pacta per Scripturam de Primogenitis Illuſtrium confirmat. Verum hos ipſe literarum confirmantium tenor refellit, qui Territoria ad unam Familiam pertinentia diſtincte nominat, easque non unit, tanquam partes integrantes ejusdem corporis moralis ſtricte dicti, ſed tantummodo divelli vetat; conſ. die Heßiſche Darmſtädiſche Erb-einigung und deren Käyſerl. *Confirmation apud Sprenger. in font. J. P. p. 569. ſeqq.* Idem judicium ferendum eſt de Unione Juliacenſi, quam Ferdinandus I. Anno 1559 Imperiali diplomate approbavit; vid. *Klock. de Contrib. c. 3. & Conſ. T. I. c.*

§. 43. Principes ac Status Imperii per Scripturam publicam vel alio actu ſolenni Territoriorũ conjunctionem ita manifeſtaſſe hactenus non conſtat. Deſtinationem tamen animumq; ſuum uno alterove modo ex illis teſtari ſolent, quos paulo poſt inter effectus Incorporatio-

porationis deſcribemus. Hac intentione aliqui votorum multitudine, qua pro numero diſtinctorum Territoriorum gaudebant, abolita unum ſolum unitorum Territoriorum nomine in Comitiis ferunt; Alii unam adminiſtrationem ſuperiorem inſtaurant; Alii ad easdem leges, diſcrepantia omni ſublata, Regiones reducunt. Neque vero, ex quo ita fecerint, opus videtur 30 aut 40 annorum curſu, quem Canoniſtæ ac Feudiſtæ plurimi in ſimili fere materia requirere ſolent, ſcilicet ut res Eccleſiaſtica infeudari ſolita menſæ Eccleſiæ incorporata dicatur, quoniam videlicet Principes ſuo jure agunt. Dandum tamen aliquid temporis conſenſui tacito, ſi expreſſus non intervenerit, tam Imperatoris, quam aliorum, quorum intereſſe poterat, præſumendo; quod ipſum in Incorporationis ab Imperatore celebrandæ actu tanquam ſolenniori & magis publico locum non perinde invenit. Interim quod alioquin ad introductionem Juris Primogenituræ in Familiam Doctores requirere ſolent, ad Incorporationis validitatem ſuo modo neceſſarium eſſe non immerito quis dixerit. vid. *Dn. Rhetius de Tranſm. Territor. Germ. c. 3. n. 16 Springsfeld. de Appan. c. V. n. 55. Mylerus de Princ. & Stat. Imp. c. 21. n. 8. &c.*

§. 44. Satis jam apparet, quid de argumentis illorum, qui Incorporationem omnem abſque diſtinctione ad Imperatorem referunt, habendum ſit. Ad antiqua Tempora Imperii pertinet *Klockii* effatum Principis ſupremi juribus unionem ac diviſionem provinciarum annumerans. Cumque hodie Status ſint in Territoriis ſuis Summæ Poteſtatis participes, inde potius concludetur ipſos Jus uniendi ſimul poſſidere.

Idem dicendum eſt de textibus legum Romanarum, qui priſtinum R. Imperii Statum deſcribunt & ad hodiernam faciem invalido argumento applicantur, uti agnoſcit *Itterus c.VIII.n.XIX.* Apparet id cumprimis inde, quod impoſterum nec augere nec imminuere numerum Electorum, qui ſummis in Imperio muneribus funguntur, Imperatori ſit integrum. In aliorum etiam illuſtrium officiorum collatione ac diſtributione limitibus quibusdam circumſcriptam eſſe Cæſaris voluntatem probatur ex *Inſtr. Pac. Oſn. art. V. §. 20. & Capit. Leopold. art. 40 & 41. Rec. Imp. Anno 1654. §. 22. ſeq.* conf. *Limn. ad Capitul. Ferdin. III. art. XV. p. 702. & ad A. B. c. 27. §. 6.* Inter Pontificem porro & Imperatorem Romanum comparatio male inſtituitur. Negari enim non poteſt Pontifici non in una parte ſola à ſuis plus tribui, ampliorem que in rebus Eccleſiaſticis poteſtatem concedi, quam Imperatori in civilibus competit. Deinde ſi firma hæc ſit argumentatio, erunt, qui colligere volent, aliis omnibus Chriſtianorum Regibus denegandam eſſe uniendi poteſtatem. Denique ſi ab Eccleſiaſtica poteſtate ad Civilem tuto concluditur, quoniam Principes Auguſtanæ Confeſſioni addicti pro lubitu Eccleſias & quævis beneficia Eccleſiaſtica majora uniunt, cur hinc non liceat inferre, eandem ipſis poteſtatem eſſe quoad univerſa Territoria? Exempla ulterius, quæ certe paſſim proſtant, hoc quidem evincunt, poſſe Imperatorem provincias unire; ſed non ſequitur, poſſe ſolum. Ita innumeris exemplis probatur, incorporatas Regiones poſt factam unionem cœpiſſe iisdem juribus uti, cum antea regerentur diverſis: Sed quis hinc firmiter inferat, ſimili-

tudinem

tudinem legum eſſe Incorporationis neceſſarium effectum? Denique etſi notorium ſit, Imperatorem ſolum creare Reges, Duces, Principes; tamen hoc male ad prævia Regionum unionem accommodatur. Saltem iſtius argumenti nulla vis erit, quoties Ditioni cuidam absque novi tituli aut novæ dignitatis acceſſione nova Territoria hodie adjiciuntur.

§. 45. Incorporatio Territoriorum & Provinciarum tunc plerumque accidit, quando plures Provinciæ aut plura Territoria contigua ab eodem Domino poſſidentur. Nam quemadmodum Regna locorum longa intercapedine ſejuncta unire fruſtra foret, quod tradunt & probant Politicorum libri; ita Provinciæ per alias interjectas diſſitæ Incorporationi aptæ non ſunt, quoniam diſtinctum regimen poſtulant, & alia commoda, quæ cæteroquin ex unione ſperari ſolent, intercipiunt. Olim quidem Provincias finibus connexas Principes ordinarie jungebant, & argumentum ſatis probabile pro Incorporatione facta ſola vicinitas præbebat; cui non parum accedebat roboris, ſi Provinciæ vicinæ quadam veluti cognatione ſe mutuo reſpicerent, qualem obſervare licet inter Palatinatum Thuringiæ & Landgraviatum ejusdem nominis, inter Palatinatum & Ducatum Saxoniæ &c. Speciales acquiſitionum titulos hic enumerare, niſi cancellos egredi libeat, non licet. Iſtorum diverſitas differentiam, quæ notari hic mereatur, non efficit. Facere interim non poſſum⁹ quin verbo Galliæ mentionem injiciamus, ut exempli loco habeatur, dum Provincias contiguas variis titulis, Matrimonii, Hereditatis, Emtionis, Armorumque Reges antiquo diſtrictui ab aliquot ſeculis ſtudioſe uni-

verunt, & ita Regnum ad anguſtos modo terminos redactum denuo ad eam magnitudinem auxerunt, quæ hodie terrorem vicinis incutit.

§. 46. Plures ſunt Species Incorporationis Provinciarum ac Territoriorum, fundaturque differentia in Objecto & Adjuncto. Ratione objecti Incorporatio alia eſt regionum mere feudalium, alia regionum partim feudalium, partim allodialium. Cumque hodie Regiones, quas feudali titulo quis poſſidet, aut ſint Feuda Imperii, aut Feuda Status cujusdam, prioris generis Incorporatio nunc quidem rurſus novas claſſes habet. Unio Sileſiæ, Poloniæ & Moraviæ cum Regno Bohemiæ, cujus aliquoties facta eſt mentio, exemplum præbet Feudorum Imperialium redactorum in unum corpus. Nam & Bohemiæ Regnum Feudum erat Imperii, & Regiones memoratæ olim, cum ſeparatæ eſſent, ad Imperium eodem modo pertinebant, vid. *Limn. T. 1. add. ad. l. IV. c. 7. p. 461.* & conf. *H. Conring. de fin. Imp. l. 2. c. 29.* Landgraviatus Haſſiæ, quem ipſi Domini agnoverunt è variis particulis conſtare, quas partim allodiali jure partim feudali titulo tam ab Imperio quam ab aliis Statibus poſſiderent, (*in Deduct. cauſ. princ. n. 131. 132.*) reliquis ſpeciebus cognoſcendis ſervit. Allodialium Ditionum cum feudalibus unionem etiam illuſtrant Ducatus Luneburgicus & Wurtembergenſis, de quibus vid. *Beſoldum de increment. Imp. c. 1. n. 3. & Klockium vol. 1. conſ. VII. n. 757.* Vetuſtior quoque hiſtoria Provinciarum allodialium feudaliumque conjunctionem paſſim memorat, injicitque ejus mentionem *Obrechtus l. all.* Ratione adjuncti alia eſt Incorporationis Species, cum plures Regiones,

nes, quarum unaquæque ſe habet tanquam principalis, conjunguntur, ut ex omnibus fiat una, quæ nova dignitatis & ſtatus privilegia ſuſcipit; alia cum Ducatui, Comitatui, aut alii cuivis Regioni quædam ditio tanquam nova pars accreſcit, ut vel iterum ad altiorem dignitatis gradum Ducatus ille aut Comitatus evehatur, vel manente eodem ſtatu ſolummodo melior reddatur ipſius conditio. In prioris ſpeciei exemplum recentiora tempora præbent Ducatum Wurtembergenſem, qui è pluribus Ducatibus & Comitatibus à Maximiliano unitis conſtat. Aliud exemplum eſt Ducatus Holſatiæ, quem Fridericus è Comitatibus Holſatiæ & Stormariæ, addita iisdem Dithmarſia, compoſuit; *Limnæus T. 1. add. ad. l. V. c. 9. n. 2. p. 873.* Poſteriorem ſpeciem exhibet Domus Luneburgica. Initio enim Comitatui Luneburgico variæ ditiones adjectæ ſunt, ut è Comitatu fieret Ducatus, & hic poſtmodum novis acceſſionibus auctus eſt, quæ literis Inveſtiturarum Cæſarearum & facto Acquirentium eorumque Succeſſorum Ducatui ſic fuerunt unitæ, ut priſcis omnibus antiquatis hodie ejus appellatione veniant; uti ex *Stuckio. conſ. 26. n. 508.* refert *Itterus c. 8. n. 26.* Ita etiam Anno 1004. Henricus II. Dogano Magdeburgenſium Antiſtiti donavit Gibichenſtein & Halle, quæ Ditiones exinde ſemper Archiepiſcopatui innexæ manſerunt, teſte *Strauchio de oppign. Imp. §. 22.* Huc quoque pertinet Pagus Schwamberg, qui Wertheimenſium Comitatui anno 1296. incorporatus legitur apud *Autorem (Phil. Reinhardum)* des Wertheimiſchen Gegenberichts *contra* Würtzburg *c. 1.* vid. iſta omnia & alia plura apud *Itterum l. all.* Prioris diviſionis ſpecies duratione potiſſimum à ſe differunt, quo *conf. §. 51. & 59.*

Circa poſteriorem vero claſſem in mutatione privilegiorum & jurium differentia quædam obſervatur; *vid. § 53. & ſeq.*

§. 47. Proximum eſt, ut evolvamus, quid Incorporatio efficiat? Ubi quidem diſtinctam iterum Incorporationis ſingulæ Species conſiderationem videntur poſtulare; agemus tamen prolixius de Incorporatione Territoriorum & poſtmodum pauciſſimis oſtendemus, quousque ea applicari ad Incorporationem Provinciarum poſſint. In rebus phyſicis ab unitate formæ unitas compoſiti & partium componentium unio pendet; ita Incorporationis noſtræ neceſſarius ac perpetuus effectus eſt, *quod una fiat Civitas è pluribus, quæ exinde ipſam tanquam partes integrantes componunt*; conf. quæ ſupra §. *19.* dicta ſunt. Ex hoc alia multa propullulant, quibus ſpeciatim explicandis duo prænotamus. Alterum *Incorporationem primario Imperantis immediati commodum ſpectare, ſimul tamen bono Territoriorum fieri.* Quod nemo facile negaverit, ſi cogitet, omnem unionem ad rerum unitarum non deſtructionem ſed conſervationem tendere. Alterum *Territoria per Incorporationem juncta quantum in ſe eſt in perpetuum unita manere.* Quam enim Philoſophus Gallus celebratiſſimus generalem motus regulam fecit corporibusque phyſicis feliciſſime accommodavit; *res quasvis in eo ſtatu, quem primum obtinuerunt, perſeverare diutiſſime, niſi ab aliis potentioribus deturbentur*; eam in moralem diſciplinam quodammodo transferre poſſe videmur, cum res morales conſentaneum ſit phyſicas, ut alias, ita conſtantia quoque imitari. Harum inquam regularum beneficio, quarum altera finem,

nem, altera adjunctum Incorporationis ſiſtit, è duplici effectu, quo per Incorporationem *fit una Civitas & plures Provinciæ minores fiunt ejusdem totius partes*, deducemus alios, qui tamen cum Incorporatione non perinde neceſſario nexu cohærent, ſed aliquando ab ea per pacta & conventiones abſunt. Conſiderabimus autem primum, quid in Provinciis novi fiat reſpectu perſonæ Imperantis; deinde quid reſpectu Adminiſtrationis & Subditorum.

§. 48. In Regnis unionis effectus maxime conſpicuus eſt, quod è pluribus Coronis fiat una. Sed ſimile quid in Territoriorum Germaniæ conjunctione non videtur obſervari. Quamvis enim Inveſtitura Principum cum Coronatione Regum ſaltem olim hoc habuerit commune, quod utrobique inſignia dignitatum fuerint collata; & quamvis nunc ſi non primam Inveſtituram, ſed ejus renovationem ſpectes, quod *Arniſæus Lib. 1. de Jur. Maj. c. 6. de* Coronatione affirmavit, *non ideo Regem eſſe quia coronatur, ſed ideo coronari, quia Rex ſit*; etiam de Inveſtitura Principum dici queat, videlicet *non ideo Territorium & Regalem Dignitatem ad aliquem pertinere, quia inveſtiatur, ſed ideo inveſtiri, quia Dignitas & Territorium ad ipſum ſpectet*, propter ea, quæ de Jure Principum ſuccedentium ſcribunt Heerden *P. 1. c. 5. §. 2.* der Grundfeſte / *Reinking de reg. Sec. & Eccl. l. 1. d IV. c. XVI. n. 58. ſeqq. Limneus Tom. III. c. VII. n. 3. &c. Schützius Vol. 1. ex. II. th. XI. lit. d. & Ex. VII. Th. XIIX. l. n. & alii multi*: Tamen non ſicut plurium Regnorum Dominum plures coronæ decorant, ita etiam Feuda Germaniæ Regalia, quæ in una Perſona cumulantur, per ſymbola diſtincta Imperator aut olim contulit, aut hodie

hodie confert. Antehac certe non raro diſtincta Territoria unius vexilli, ejusque rubri, traditione ad vaſallum illuſtrem tranſiiſſe ex hiſtoriis novimus; conf. *Obrecht. de Vexill. Imper. c 3. p. 15. ſeqq.* Et nunc poſtquam collatio feudorum Regalium per vexilla juxta graviſſimorum Autorum ſententiam, quæ tamen limitationibus quibusdam circumſcribenda eſt, in deſuetudinem abiit, uno indiviſo actu porrigendi & oſculandi gladium traditio & acceptio omnium Territoriorum perficitur. Hujusmodi Inveſtituram univerſalem etiam in feudorum minorum collatione paſſim receptam teſtatur *Weſenbec. part. 1. conſ. 9. n. 13. 16. & ſeqq.* Viciſſim ubi nomine plurium portionum ejusdem Regni plures coronæ nunquam imponuntur; quum adhuc ritus ille Inveſtituræ antiquus in Germania noſtra vigeret, aliquando per plura vexilla ejusdem Territorii partes unitas Vaſallo tribui contigit. Ita factum legimus in Inveſtitura D. Mauritii Electoris Saxoniæ. Nam inter decem vexilla, quæ ad Cæſarem eunti primum prælata, ac poſtmodum ab eodem Imperatore denuo tradita ſunt, ut de aliis nihil dicamus, poſt vexillum Electoratus, inſignia Comitatus Brenenſis peculiari ac diſtincto vexillo impicta fuiſſe *Goldaſtus* refert *Polit. Imper. part. VI. p. 365. ſeqq.* Comitatum interim Brenenſem nemo neſcit longe ante illa tempora Electoratui à Rudolpho Habſpurgico incorporatum, & poſtea Friderico Bellicoſo, quem Alberti ſucceſſorem Sigiſmundus nominaverat, anno 1425. Budæ traditum tanquam partem Electoratus fuiſſe. vid. *Alb.* in der Meiſſn. Land Chronica *tit. 16. p. 212. & 216. conf. Fabric. Orig. Sax. l. 5. p. 555.*

§. 48. Pri-

§. 49. Primum ergo inter ſpeciales Incorporationis effectus nominamus, quod redactis in unum corpus Territoriis Tituli, quos Domini ab illis gerere ſolebant, abolentur, & vel aſſumuntur novi, quoties videlicet Territoria conjuncta novam dignitatem novumque ſtatum nanciſcuntur, vel retinetur Titulus ejus Regionis, cujus corpori aliæ tanquam novæ partes acceſſerunt. De poſtremo caſu loquitur *Beſoldus in Præcogn. Pol. c. 8. n. 5.* cum ſcribit: *Si alicui Principi acquiratur aliqua civitas, propter hoc non debet mutare titulum ſuæ dignitatis ſive nobilitatis, ſi illa civitas fiat de principatu ſive ei uniatur. Secus ſi non, id eſt, ſimpliciter acquiratur à Principe, ac retinet jura Principatus, quæ ante habuit, Jaſon ad § item Perſona n. 9. de act. Sic Florentinus non ſe nominat Senarum & Piſarum Principem, quia unitæ Ducatui Florentino. Sic Rex Galliæ non ſe nominat Burgundiæ, Britanniæ, Normanniæque Ducem. Sed recte Rex Hiſpaniæ ſe nominat Regem Caſtiliæ, Arragoniæ, Luſitaniæ &c. Sic Populus Romanus nullibi inſignitur titulo ſuorum Regnorum, quia Rom. Imperio fuerunt incorporata.* Et Hactenus Germaniæ noſtræ conſuetudo reſpondet, adeoque immerito Beſoldus vulgariter reprehenditur, quod iſta generalius ſcripſerit. Novum autem non eſt, qui plurium Territoriorum titulos antea uſurpavit, eum poſt factam unionem priſtina nomina retinere, iisdemq; porro uti, Quam rem duplici Electoris Saxoniæ Potentiſſimi, & Sereniſſimorum Ducum Wurtembergenſium exemplo probaſſe ſuffecerit. Ille Burggravium Magdeburgi ſe dicit non obſtante Incorporatione cum Electoratu dudum facta: Hi conſtanter Teccen-

ſis Principatus titulum reliquis addunt, utut ille Ducatui Wurtembergico ſit unitus. Videri tamen alicui poterat peculiari imperatotis indultu, ut ita faciant Principes, opus eſſe, quoniam Maximilianus in literis Incorporationis Wurtembergenſis expreſſe teſtatus eſt, conſentire ſe, ut Eberhardus Ducis Teccæ appellationem titulo Ducis Wurtembergici adjicere pergat. Verba Diplomatis apud *Hortlederum l. all. p 610.* ita habent: Wiewohl das Hertzogthum zu Teck mit andern dem vorgemelten Hertzogthum zu Würtemberg auch einverleibt und vereinigt iſt/ ſo geben Wir doch zu/ für Uns und unſere Nachkommen am Reich Römiſche Käyſere und Könige/ und wollen/ daß ſich Hertzog Eberhard zu Würtemberg von ſolchem Hertzogthum zu Teck Titul/ Wapens und Nahmens auch aller Ehren und Würden gebrauchen ſolle und möge/ nicht minder denn von dem gemelten vereinigten und verleibten Hertzogthum zu Würtemberg. Verum illud ſolum hinc eluceſcit, ordinarie per unionem Territoriorum Titulos poſſidentium immutari. Cui conſequens eſt, Inſignia etiam, quæ Titulos plerumque comitantur, & ad eos reſpiciunt, minui. Hoc tamen iterum non ita eſt perpetuum, quin aliquando Proceres Imperii Inſignia Regionis cum alia unitæ ſcuto gentilitio ſemel illata ſervent, tum etiam, quando Titulum nominibus ſuis vel nunquam adſcripſerunt, vel olim adſcribi ſolitum nunc depoſuerunt. Sic Sereniſſima Domus Saxonica Comitatus Brenenſis & Palatinatus Saxoniæ inſignia hodienum gerit. Ulterius ſi nec Titulos à Provinciis factos nec Inſignia unquam illuſtres Poſſidentes aſſumſerunt, Incorporationis vis in ipſis

Civi-

Civitatum nominibus ſe exerit; ut Comitatus v. gr. aut minoris dignitatis Territorium Ducatui junctum veniat nomine Ducatus, *non tamen diviſim, ſed collective.* Idem obſervaſſe videri poterat *Dn. Ulricus Obrecht*, cum eveniſſe antehac ſæpe ſcribit, ut conjunctus Ducatui Comitatus in titulorum deſcriptione & ipſe Ducatus appellatione deſignaretur. *Prodr. rer. Alſat. c. XII. p. 244.* Verum Doctiſſimus Vir non agit eo loco de Unione Incorporationis, de qua accepit *Itterus l. all. n. 26.* ſed de unione laxiori, quam aliquoties vocavimus Subjectionis. Brabantiam enim, quæ in exemplum ab ipſo adducitur, ex hiſtoriis non conſtat unquam incorporatam Lotharingiæ fuiſſe, ſed quicunque earum rerum notitiam tradiderunt, docent coiviſſe quondam cum Lotharingiæ Ducatu ſub Imperium ejusdem Principis & hinc Ducatus titulo veniſſe (Principe ſe Ducem Lotharingiæ & Brabantiæ appellante) eundemq; poſtmodum facta ſeparatione retinuiſſe, perinde ut Lotharingiam. *Pontus Heuterus in hiſt. vet. & nov. Belg. l. 2. c. 14. p. 120.* Titulum inquit, *Ducatus, qui Brabantiæ tribuitur, à Lotharingis, aut incorruptius Lothareiciis manaſſe certum eſt, quod longo tempore hæ duæ regiones unum habuerint Principem, ſeparatæque communem titulum utraque retinuit. Non enim legimus Cæſarem, Regem aut alium Principem Brabantiæ Ducatus titulum dediſſe.* Dictis adjiciendum eſt, ſi maxime Regionum unitarum tituli confundantur, tamen antiquos utplurimum fines manere, cum interſit, territorium majus in partes dividi, conf. *Dn. de Seckend. T. F. St. c. 2. n. 2.* Quin & ex hac peculiari ratione tam tituli, quam fines non

raro manent, ut appareat, quid allodiale ſit, quidque feudi nomine vel ab Imperio vel à Statuum aliquo proficiſcatur.

§. 50. Cum Proceres Imperii Superioritate in Territoriis conſpicui ſuffragandi in Comitiis publicis jus habeant, Incorporatio porro efficit, ut vota, quibus unitorum Territoriorum, nomine, quum adhuc diſtincta eſſent, gaudebant nunc amittant. Vulgaris quidem opinio, quam *Reinkingius*, *Sprengerus* & cum illis alii multi propugnant, jus ſuffragii non minus hodie, quam olim, jus eſſe perſonæ, non glebæ affixum ſtatuit; ſed dudum Doctiſſimi Viri oſtenderunt, quo ſenſu ipſa per Imperii Sanctiones & Conſuetudinem receptam admitti poſſit. Sane *Cap. Leop. §. 43. & 44. & R. J. de anno 1654. §. 197.* docent, Bona ab Imperio vel ſaltem ſub Imperio poſſidere debere illum, qui ad dignitatem auguſtam adſpirare velit. Et quid apertius redarguere *Sprengerum* poterat, quam quod ipſe Statuum vota juxta diſtinctas, quas tenent, Regiones numeravit; *ſub. init. Luc. p. 52. ſeqq.* Nimirum inter Principes Imperii vix unus eſt, quin plurium Ditionum reſpectu plura vota convocatus ferat, ubi tamen obſervare licet, votorum multitudinem Territoriorum numero eidem Domino parentium non ſemper exacte reſpondere. Secus enim ſuffragiorum ferendorum in Comitiis nullus foret finis, id quod Wurtembergicis Legatis, votum nomine Comitatus Monpelicardenſis quærentibus, Auſtriaci aliquando objecerunt. Ergo cum dicimus, duo aut plura vota per Incorporationem Regionum redigi ad unum, ſupponimus Regionum illarum ſingulas ante Incorporationem

Pos-

Poſſeſſori votum in Comitiis dediſſe. Atque hoc in notiſſimo jamque ſæpius allegato exemplo Incorporationis Wurtembergicæ demonſtrari poteſt. Conſtat enim ex antiquis Imperii indicibus, quos *Goldaſtus Conſtitutionibus Imper.* præfixit, & *Limneus T. I. l. 1. c VIII.* exhibet, Duces Teccenſes, Comites Tubingenſes (de quibus ſpeciatim *Beſoldus part. III. Jur. P. c. 5. p. 242.*) & Wurtembergenſes ſuffragia ſingula tuliſſe; nunc tamen, poſtquam plures Ditiones in unum Ducatum coaluerunt, unicum quoque votum (Monpelicardum ſepono) reſtat; conf. *Sprengerum l. all.* Simile quid in Domo Saxonica Electorali & in aliis Illuſtribus Familiis obſervatur. Perpetuus tamen Incorporationis effectus Votorum imminutionem fortaſſis non tutius, quam mutationem Titulorum feceris. Nam ſi Imperator ex ſpeciali conceſſione Duci Wurtembergico Teccenſis Principatus titulum etiam poſt factam Incorporationem permiſit, quare vota Regionum Incorporatarum diſtincta indulgere non poſſit? Quæſtio autem hic emergit, an ordinarie Incorporatio uti vota ita etiam onera, quibus ad levandas Imperii neceſſitates Territoria ſubſunt, imminuat? Sane cum eadem utilitas, quæ ante, imo major ex unitis Regionibus ad poſſidentem redundet, regulariter nihil remittendum videtur. Viciſſim quoniam ſuffragia in bonis reputari ambitioſæ de pluribus votis contentiones, non raro in publicis comitiis agitatæ, teſtantur; haud iniquum fuerit, quoties vota per Incorporationem imminui contingit, compenſari qualiſcunque commodi amiſſionem levatione oneris impoſiti. Sed illud arbitrio ſuperiori relinquamus, hoc ſolum notantes, onera, quibus Princeps antehac diſtin-

ctis nominibus ſuberat, poſt factam unionem jungi & unius rei intuitu ferri.

§. 51. Circa modum habendi conjunctio Territoriorum nihil immutat, quoniam partem eſſe alicujus Territorii nihil habet commune cum titulo ac ratione, qua poſſidens aliquid acquiſivit, conf. *Roſenth. c. 10. c. 43. n. 30. ſeq & c. 2. c. 24. n. 1. ſeq.* Aliter tamen pronunciandum videtur ob adjunctum illud omnis unionis, quo ipſa ex ſe & ſua natura talis ſemper eſſe perſeverat, qualis primum facta eſt. Faciamus enim rem allodialem feudali arctiſſime junctam naturam ſuam retinere, exiſtet facillime caſus, quo unio ſponte ſua diſſolvatur, parte altera ad heredes, altera ad ſucceſſores feudales transeunte. Ergo ut quam diutiſſime in ſtatu ſuo res unitæ perſiſtant, aboleri per actum unionis iſtam varietatem credi oportet. Ex eadem ratione in duobus Regnis obtinens ſucceſſionis diverſitas, Francicæ & Caſtilianæ, per Incorporationem ſive unionem arctiſſimam ſublata merito exiſtimatur. Et porro, quod Territoria Germaniæ feudalia attinet, ſequitur, ſi feudorum unum eſt hereditarium, alterum ex pacto & providentia, unum maſculinum, alterum fœmineum (ſtatuendo hujus diſtinctionis fundamentum non in primo acquirente, ſed in ſucceſſionis varietate,) eandem naturam omnia per Incorporationem induere. Hæc ita pro iſta ſententia proferri poterant, quæ tamen admitti nequit propter alia principia juris communiter recepta, quibus ipſa repugnat. Vulgariter enim notum eſt, allodiũ feudo junctum non fieri feudum niſi accedat recognitio, & in quocunque actu Imperatoris unicuique, imprimis ipſi Imperio, jus

ſuum

ſuum ſalvum præſtari, etiam ſi vulgaris formula, *ſalvo cujusque jure dominico in particulari*, adhibita non fuerit, quam alias cum in literis inveſtituræ, tum diplomatibus unionis & his ſimilibus frequenter occurrere videmus, conf. *Acta* in Sachen Heſſen *contra* Heſſen/*in deduct. cauſ. princ. n. 131. & 132.* Juxta hoc duplex axioma concipiendum quidem eſt, in omni unione Regionum feudalium cum allodialibus vel feudalium diverſi generis ſubeſſe pactum tacitum, quo lex illa unionem in ſuo ſtatu perſeverare dictitans limitetur, & Incorporatio eousq; facta ſit, donec emergat caſus, qui partes divelli jubeat: vid. *Schoppium de allodiis c. 3. p. 25. & 26. ſeq.* Ille tamen caſus ex uſu Juris Publici fere tum demum in Germania emergit, quando univerſæ alicujus Familiæ Illuſtris ſplendor morte unius capitis extinguitur. Allodium enim Territorio feudali immixtum non ſeparatur in gratiam filiarum, ſi adſit defuncti agnatus; nec ſi feudum fœmineum aut mere hereditarium aliis pluribus junctum ſit, propter heredem allodialem fit diviſio in præjudicium agnati; confer quæ habet *Dn. Rhetius J. P. l. 3. t. 1.* Quando vero Illuſtris Familia penitus exareſcit, ea ſane parentatio tanto funere digna videtur, ut triſtem caſum comitetur ruina & diſſolutio univerſi alicujus corporis civilis.

§. 52. Pergamus ad Formam Adminiſtrationis, circa quam Incorporatio primum efficit, ut Territoria, quorum ſingula peculiari antea regimine gubernabantur, nunc uni eidemque omnia ſubſint. Quale vero Regimen intelligamus, nemini obſcurum eſt. Inferius illud Magiſtratuum Minorum huc non

per-

pertinet; Supremum ſpectatur, quod Principis perſonam immediate repræſentat. Eo referendum eſt, quod vulgo dicitur; Subditos invitos & cum incommodo ſuo non poſſe ex una Regione in aliam diſtinctam, utut eidem Domino ſubjectam, evocari: *Job. Herm. Stamm. de Servit. perſ. l. 3. c. 10 num. 17.* Ita in Regnis, quæ non in unum corpus proprie dictum redacta ſunt, ſed alia laxiori unione coaluerunt, obſervare licet, quam ſolicite ſtipulentur ſubditi, libertati ſuæ ne vis ulla inferatur. Quum Regno Sueciæ regnum Poloniæ in Sigiſmundo jungeretur, inter alia cautum eſt, ne homo Suecus extra Sueciæ terminos in jus vocaretur, conf. *Loccenii hiſt. Suec. l. 7.* & *Conneſtaggius de unione Luſitaniæ cum Caſtilia* refert, hanc præter alias conditionem Philippum Luſitanis obtuliſſe, uti omnes cauſæ juridicæ intra Luſitaniam deciderentur nec alibi darentur executioni, *l. 4.* Quamprimum vero Regna in unum coire & Regiones per Incorporationem jungi contingit, quæ partes unius Territorii fiunt, eas exinde uno eodemque Regimine adminiſtrari par eſt, & ſubditos ſingularum haberi inſtar civium ejusdem Reipublicæ. Sic olim, cum inter Sereniſſimos Principes Luneburgicos ante hos quinquaginta annos marceſcente Ramo Brunſvicenſi exorta de ſucceſſione lis eſſet, & altera pars contendens, jus Primogenituræ in univerſo Ducatu & Territorio Brunſvicenſi nunquam obtinuiſſe, Ducatus Grubenhagenſis exemplum objeciſſet, altera Grubenhagenſem Ditionem ſeparatam ac diviſam ab aliis fuiſſe ex eo demonſtravit, quod diſtincto Regimine fuerit gubernata: Das Fürſtenthum Grubenhagen iſt

faſt

faſt an die 400 Jahr *ab anno 1279.* ein abgeſondert Fürſtenthum *in Ducis Henrici cognomento mirabilis linea* geweſen/ welches ſeine ſonderbahre Cantzley Ritter und Landſchafft gehabt ꝛc. *Apol.* der Braunſchweigiſchen Dannenbergiſchen Linien zuſtehenden *Juris Primogenituræ* wieder den Bericht des Gegentheils ꝛc. *f. 85. in refut. obj. quintæ.*

§. 53. Ex unitate adminiſtrationis colligitur conformitas earundem legum. Quæ enim Regiones diverſis moribus ac inſtitutis temperatæ ſunt, idem regimen non facile patiuntur. Hoc argumentum cæteroquin ſatis prolixe Scriptores controverſiarum illuſtrium tractant. Ubi tamen diſſimulandum non eſt duplicem illam unionem, quam ſæpiſſime diſtinximus, Subjectionis & Incorporationis, aliquando permiſceri. Ita cum *Merkelbachius* apud *Klockium l. all.* ſcripſit, unionem in dubio acceſſorie ſalvis juribus antiquis initam reputari, & alii Incorporationem omnem dixerunt Provinciarum acceſſorie factam conjunctionem, error ille non paucos, qui iſta legerant, invaſit, Incorporationem generatim ſalvis legibus fieri. Qui rectius ſentiunt, textibus Juris Romani potiſſimum pugnant, utpote quibus docetur, unionem rem facere ejus naturæ, cujus ſit id, cui unitur, & augmentum ſequi naturam ſui principalis *l. 1. ff ad L. Juli § 14. & l 7. ff de capt & poſt. r. l. 23. ff. de uſur. l. 8. & l. 24. §. 2. ff. de leg. 1. l 15. § 1 ff de Pign. act. l 16. ff. de pign. & hyp. l 9 §. 4 ff. de uſufr. l. 29. §. 7. ff de inſtr leg &c* Sed his textibus utrum probetur, an illuſtretur potius ſententia legum conformitatem inter unitarum Regionem effectus nominans

nans. jam non diſquiremus. Clarius ſaltem ex unitate adminiſtrationis ipſa confirmatur, & adhuc firmiorem concludendi rationem natura geniusque Civitatis ſuppeditat. Nam uti jura ſunt illud vinculum, quo cives continentur; uti leges ſunt anima Civilis Societatis; ita Civitas perfecte una iisdem inſtitutis regulariter utitur. Imprimis vero unitati civitatis contraria eſt diverſitas ejusmodi legum, quarum una alteram oppugnat, aut quæ alterius Territorii homines non patiuntur eſſe alterius cives. Harum exemplum memorat *Zoucbeus* ex Anglorum Jure communi, cujus rigore extraneus hereditatem in terris vel fundis intra Regnum cernere non poſſit; *p. 2. ſ. 2 num. 11. de Jur. inter Gent.* Sane hac lege ſalva Scotiæ Regnum Anglicano incorporari & perfecta unione nunquam jungi poteſt, quoniam iſtius incolas à jure civitatis & participatione commodorum atque munerum excludit.

§. 54. Falſo tamen retro ex conformitate legum unitas Civitatis colligitur, nec tolerandus eſt error Polybii, qui ideo univerſum Peleponneſum pro una Republ. habuit, quod Arati conſilio omnes urbes ac provinciæ iisdem legibus ponderibus & menſuris uterentur. Viciſſim iſta legum convenientia, quam Incorporationis effectum diximus, ad pondera usque & menſuras extendenda non eſt. Ita enim Chriſtophorus Dux Wurtenbergicus multis demum poſt Incorporationem vivente Eberhardo factam annis diverſitatem ponderum & menſurarum ſuſtulit. Nec niſi pauciſſimæ Reſpublicæ ſunt, quæ omnes partes ita habent uniformes, ut ne minima in ponderibus diſcre-

pantia

pantia ſuperſit. Quin & civitates ejusdem Territorii municipales legibus nonnullis & ſtatutis peculiaribus utplurimum gaudent, ſalva iſta, quam Incorporatio producit uniformi legum ratione. Jura videlicet illa hic intelligi volumus, quibus Civitas magna regitur, & quibus homines, ut ſunt ejusdem Reipublicæ proprie ſic dictæ cives, una vivunt; non quibus Magiſtratus ſubordinatus populum inferioris communitatis vinculo junctum moderatur *Commodioris enim adminiſtrationis gratia in præfecturas ſive præſidatus dividi major aliqua provincia ſolet*, ut loquitur *Schrad, feud. p X. ſ. XII. n. 23 p. 232. & nihilominus manet, unum territorium, unumq; regimen ſummum.* Ita præfecturarum ſingulæ propria ſe e ſtatuta quædam ſuis præſcribunt, & uno tamen omnes jure uti pergunt.

§. 55. Quæ hucusque diſſeruimus, non ita ſunt accipienda, quaſi negemus fieri unquam poſſe, ut ejusdem Civitatis partes diverſis legibus utantur, aut Regiones in unum Territorium coeuntes ſua antiqua jura ſervent. Conventionibus enim omnino efficicitur, ut quandoque priſtinæ leges vigorem ſuum porro obtineant, cum diverſitas jurium difficilem quidem reddat admininiſtrationem, ſed hanc tamen ſtante illa adhuc unam eſſe non ſit penitus impoſſibile, modo jura ſibi directo non adverſentur; vid. *§.* 53. Hoc ergo ſolum volumus, redactis ad unitatem Territoriis, quamvis conſtet, partes ante unionem propriis inſtitutis fuiſſe temperatas, conformitatem legum præſumi usquedum pactis aliud cautum doceatur. Hic vero fatendum eſt, ſi duæ Regiones

æque principales fuerint conjunctæ, non licere conjicere utrius jura reliquis rejectis vigere per univerſum Territorium cœperint, niſi forte legum communiorum ratio haberi meretur, quod ſane non videtur iniquum. Sed ſi una acceſſerit alterius corpori tanquam nova pars; tum quidem leges civiles allegatæ non male applicantur, ut recens adjecta Regio ad leges prioris ſe compoſuiſſe præſumatur.

§. 56. Veniendum eſt ad Privilegia, de quibus duplex quæſtio agitari poteſt, una: an *Territorium privilegiis ornatum, dum alii, quod illis caret, unitur, ſua privilegia amittat?* Altera *ſi conſervet, an eadem unito Territorio communicet?* Qui ſatis diffuſe (an confuſe,) de hoc argumento egerunt Juris Interpretes antiqui, eam ſolam unionẽ, qua Provinciæ alicui tanquam principali, ut loquuntur, alia acceſſorie jungitur, ob oculos habent, & ita præmiſſæ quæſtioni applicant principium ſuum *augmenta ſequi naturam principalium*, dicuntque, ſi provincia principalis, cui altera unitur, privilegia poſſideat, non ſalva ſolum remanere iſta in unione, verum etiam accedenti provinciæ communicari: ſin acceſſoriæ privilegia, non principali, ante unionem competant, eadem non tranſire. Diſceptant ſpeciatim, an jurisdictio, quam Princeps ſummus in certo caſtro liberaliter alicui conceſſit, extendenda ſit ad caſtri augmentum, quod vel facto hominis vel per alluvionem accrevit? In qua controverſia quam graviter anno 1490, lite inter Gonzagas Mantuanos orta, Collegia Ticinenſium & Ferrarienſium diſſederint, & quam bellis utrinque rationibus pugnatum fuerit, videre licet apud *Aymum de alluv.*

jure

jure l. II. c. VI. Ne limites præfixos tranſiliamus, aut caſus cogitemus, qui in Imperio Germanico nunquam emerguut, ex iis, quæ antea deducta ſunt, pauciſſimis rem univerſam expedire conabimur. Initio quidem Civitatis unitas privilegiorum talem, qualem legum, ubique conformitatem non exigit. Sicuti enim civium bene meritorum ſingularis honor & remuneratio Societatis Civilis vinculum non ſolvit, ſed potius firmat; ita quum univerſa aliqua Communitas minor privilegiis quibusdam ob eximia facta ornatur, ipſa propterea non deſinit eſſe pars majoris Reipublicæ. Neque privilegiorum varietas Adminiſtrationem, quam in Territoriis ad unum corpus redactis unam meminiſſe debemus, difficilem regulariter reddit. Si tamen talia ſint aut ejus naturæ cujus ſub finem §. 53. legum quarundam mentionem fecimus abolenda videntur aut ſaltem ita temperanda, ne partibus querendi locus relinquatur. Exemplum habet *Brunnemannus Dec. cent. 2. Dec. 55.* quod brevitatis cauſa non adducimus. Porro ſive Regio acceſſorie ſive principaliter cum alia jungatur, ſalva ipſi eſſe antiqua privilegia & libertatem inde colligere licet, quoniam Incorporatio omnis tendit ad rerum unitarum emolumentum, *§.* 47. Sed ut conſtet, quo caſu privilegia Regioni alicui, quæ hactenus iisdem gaviſa non eſt, per unionem communicentur, videbimus, uti in materia contractuum alias leges jubent, quid actum ſit. Nam ſi privilegia parti alicujus Reipublicæ conceſſa ſunt, quum jam Rempublicam cum aliis componeret, ad reliquas partes ſive jam tum actu unitas, ſive nunc accedentes ea non tranſire exiſtima-

mus, ob ſpecialem cauſam privilegia provocantem, quæ in reliquis partibus non invenitur. Sed ſi integro corpori Territorii indultæ ſunt immunitates, his non eæ tantum partes, quibus nunc civitas conſtat, verum etiam aliæ, quæ quocunque tempore adjicientur, gaudebunt. Adhuc tamen probe diſcernere oportet, utrum vni certæ Reipubl. ſimpliciter conceſſa ſint privilegia, an ſolum quatenus ipſa his finibus terminatur? Nam ſi poſtremum doceri queat, partes per Incorporationem Civitati modo accedentes privilegiorum non fiunt participes. Atque huc accomodari posſunt leges civiles, quæ dicunt appendices ejus rei, cui accedunt, conditionem ſequi, non ſane accurate loquendo, quaſi pars principalis ad ſe trahat acceſſoriam, (nam ex hoc principio ita crude intellecto ſequeretur Regionem accesſoriam privilegiis gaudentem, quibus principalis careat, ea in conjunctione amittere, & privilegia etiamſi limitato alicui Territorio indulta eſſent tamen communicari, quorum utrumque negatum fuit;) ſed quoniam hæc fit pars totius, cui certa conditio poſitiva ineſt: conf. *l. 8. C. de Jur. dot. l. 73. ff. de uſuc. & quæ paulo ante allegatæ ſunt.*

§. 57. In hac materia privilegiorum & jurium diverſitas, qua alia in Subditorum, alia in Imperantis immediati emolumentum vergunt, plerumque non attenditur. Igitur & circa ea, quæ perſonam Imperantis ſequuntur, videndum eſt, utrum conceſſa ſint in Territorio tanquam in parte, an tanquam in toto; & poſteriori caſu iterum, utrum tanquam in toto certis limitibus circumſcripto, an ſola nominis appellatione definito. Sic quum conceſſum eſt Ducatui privilegium

um de non appellando, extenditur illud regulariter ad Regiones, quæ ducatus corpori adjunguntur. Ex hac ratione olim in cauſa Grevel contra Haverſack appellationis A. 1582. in Camera introductæ Appellatus Juliacenſe privilegium obtendens procul dubio obtinuiſſet, niſi Comitatum Marcæ per matrimonium Duci Juliæ obtigiſſe nec incorporatum Ducatui unquam fuiſſe Appellans probaſſet, apud *Gylm. Tom. III. deciſ. f. 275. & Tom. VI. f. 115.* A regulis tamen hactenus efformatis excipi caſus ille debet, quo privilegia vel ſubditis vel principi competentia cum alterius partis detrimento aliquo conjuncta reperiuntur. Tum enim proteſtationibus locus eſt. Imprimis, quoties ſubditorum privilegia Imperanti ſunt præjudicio, regulariter ad novam Territorii portionem jura veteris non tranſeunt.

§. 58. Quæ ſupra de Adminiſtrationis unitate in Territoriis incorporatis egimus, ſic explicanda ſunt, ut Statuum quoque Provincialium collegia conjuncta intelligantur & unum corpus Nobilium factum, quorſum pertinent verba § 52. ex actis Brunſuicenſibus allegata. Nunc illud ſolum adjicimus, per Incorporationem è pluribus Territoriis fieri unam Curiam, ita ut vaſalli unius exinde incipiant eſſe pares Curiæ in altero. *Si quis enim diſtinctos Ducatus* (verba ſunt *Schraderi feud. part. X ſ VII n. 24. p. 232.*) *diſtinctas Marchias diſtinctos Comitatus vel diſtinctas Baronias, aut alia diſtincta Territoria diſtinctis titulis poſſideat, illi vaſalli, qui ab eodem domino in uno Ducatu, Marchia, Comitatu, Baronia vel alia Provincia feuda tenent,*

non

non cenſentur eſſe Pares Curiæ reſpectu illorum vaſallorum, qui in alio & diſtincto Ducatu, Marchia, Comitatu Baronia, vel Provincia feudum ab eodem Domino poſſident. Huic opinioni adſtipulantur alii communiter; conf. *Dn. Rhet 1. F. 2. p. 152.* quamvis ſint, qui ſecus ſentiunt, vid. *Dn Struvii ſynt. feud. c. IV. aph. XIIX. n. 7.*

§. 59. Videndum nunc eſt, quæ ex iſtis omnibus ad Provinciarum proprie dictarum Incorporationem applicari poſſint, & quæ ad illam minus quadrent. De illis equidem Provinciis, quales medio tempore erant, Proceres Imperii tanquam vaſallos inveſtitos fuiſſe, & titulis earum ornatos conſtat. Igitur quæ de actu inveſtituræ & titulorum commutatione diſſeruimus, ſuo modo huc trahenda ſunt. Ad Provincias autem antiquiſſimæ ætatis, quas hodie Præfecturæ, quibus Territorium Principis integrum dividitur, æmulantur, iſta non æque pertinent. Generalius interim de his, quam vel de Civitatibus, vel de Provinciis alterius generis, affirmare licet, ipſas nomina ſua per unionem confundere.

§. 60. Legum rationem Provinciarum, quatenus Territoriis opponuntur, conjunctio nulla immutat. Nam cum hæ etiam ante conjunctionem fuerint ejusdem Civitatis partes, ſequitur eas jam convenire legibus, quarum unitatem eadem ſumma Adminiſtratio requirit. De privilegiis diſtinctius agendum eſt. Primum quidem per conjunctionem Provinciarum, quas Præfecti Imperatorio nomine tenebant, non facile ulla Privilegiorum fiebat communicatio; niſi ali-

quam

quam Provinciam ita Imperator immunitatibus dotaſſet, ut quicquid ipſi accederet poſtea, iisdem frueretur. Quando autem hodie talium Provinciarum, in quas Territoria diviſa ſunt, per Principes fit unio, videndum eſt, utrum privilegia liberalitati Imperatoris, an ſummi Domini immediati debeantur? Si ab Imperatore profecta ſunt, inquirendum rurſus eſt, quorum potiſſimum commoda reſpiciant, Imperantium, an Subditorum? Denique examinandum utrum Provincia illis gaudeat prout certis finibus incluſa, an quatenus peculiari appellatione & nomine ab aliis diſtincta eſt. Ex his quarumvis quæſtionum & controverſiarum facilis erit deciſio, quæ non tantum de Provinciis vicario nomine per Præfectos adminiſtratis, verum etiam de reliquis oriuntur. Plurimum videlicet momenti in eo eſt, ut videamus, cujus auſpiciis facta ſit Incorporatio.

§. 61. Doctorum plerique inter effectus Incorporationis referunt, quod Territoria & Provinciæ, quæ ita coiverunt, amplius divelli ac ſeparari nequeant; conf. *Zach Vietorem de exemt. Imp. concl. 18. Reinking. l. 1. cl. IV. c. 17. n. 101. & autores ibi allegatos.* Sed quale illud ſit, diſtinctius paulo evolvendum eſt. Obſervavimus de Territoriis incorporatis ſupra, uti omnem unionem, ita hanc maxime perſeverare in ſtatu ſuo, donec ille violenter invertatur, & hoc pacto, ſi ſeponatur tacita conventio, de qua *§. 51.* agit, Civitatem, quæ è pluribus Territoriis incorporatis concrevit, ex ſe perpetuo duraturam eſſe unam, niſi dividentium ſive ſeparantium actus ſupervenerit. Jam ſi

X recte

recte ſentiunt allegati Doctores, neceſſe eſt, ut aut conditio Regionum unitarum hunc actum fruſtretur aut legis vel pactorum diſpoſitio eundem ſuſpendat. Quod prius attinet, conditionem Regionum unitarum non reſpuere diviſionem notorium eſt, atque, ut de natura compoſitorum moralium, ad quam pertinet *l.35.ff.de div.reg.jur.* nihil dicamus, vel ex hiſtoriæ monumentis abunde probari poteſt. Majores enim Civitates in alias minores ſæpenumero abiiſſe in quarum ſingulis diſtincta Majeſtas fulſerit, quis eſt qui ignorat? Ita vaſtum Magni Macedonis Imperium in plura regna minora poſt Iſtius mortem Procerum ambitione diſcerptum legimus. Videtur, huc accommodari etiam poſſe illam formulam loquendi, qua Veteres Superioritatem totã in toto Territorio & totam in qualibet parte poſuerunt. Nam ſi verum eſt totam eſſe in quavis parte, quid mirum, Territorium univerſum in plura Territoria exigua ejusdem naturæ, ejusdem ordinis, ejusdemque dignitatis dividi? Sed forte hanc phraſin eodem ſenſu accipiendam de Superioritate Territoriali Politici dicent, quo alias Scholaſtici in definienda præſentia ſpirituum finitorum ipſam adhibent. Hi enim colligere nos non patiuntur: Quoniam anima eſt tota in brachio; Ergo tota cum brachio ſeparari à trunco humano poteſt. Quod poſterius concernit, quanquam juris feudalis regulæ, quas in Germania non tam Imperatorum expreſſa juſſione, quam longo uſu receptas novimus, feuda regalia in minutas diſcerpi partes vetent; tamen acta rerum geſtarum iſtis quoad hanc partem in Imperio per contrari-

trariam conſuetudinem derogatum eſſe evincunt. In pleriſque enim ac tantum non omnibus Familiis Illuſtribus diviſionem aliquando frequentatam fuiſſe invenias, vid. *Arn. Engelbrecht. de Succ. in Elect. th 78.* Sed cum ex iſto more Territoria dividendi Familiarum Domorumque Illuſtrium ruinam pendere res ipſa loqueretur, introduci cœpit in Familiis Jus Primogeniture partim per Auream Bullam, partim per Pacta ſpecialia & privata, quæ tamen ipſius Imperatoris Autoritas plerumque confirmavit. Hoc jus hodie tam late viget, ut in dubio receptum juxta non paucos præſumatur, vid. *Klock. T. III. conſ. 182. n. 211. Roſenth. c. 9. c. 56. l. k. in not.* & conf. *Struv. Obſ Feud. IX. n. 1. ſeq.* Alicubi vero locorum Jure Unionis introducto caveri ſolet, ne unquam diviſio Principatuum fiat, ſed vel uni ſoli omnes tradantur, vel plures indiviſim eosdem poſſideant. Quod Jus à Jure Primogenituræ diſtinctum eſſe, vel è Controverſia de Juliacenſi Succeſſione ſub initium hujus ſeculi acta demonſtratur; vid. *Klock. T. I. conſ. 7. n. 727. & 798. ſeq.* conf. Eitel Friedrich von Herden Grundfeſte *p. 40. Limnæus T. I. add. l. I. c. 9. n. 96. ſeq.* Iſthæc duplicis generis pacta, ſi non directo ac expreſſe, ſaltem per conſequentiam actum ſecundum dividendi Civitates ac Provincias, quæ per Incorporationem coaluerunt, Proceribus Imperii non paucis auferunt. Reliquis interim, quorum Familiæ nec Primogenituræ nec Unionis Pactum norunt, libera facultas, quandocunque placuerit, Territoria olim incorporata ſeparandi ac diſſolvendi, propterea non relinquitur. Adhuc enim Incorporantis

X 2 inten-

intentio ac deſtinatio omnium, quorum intereſt, conſenſu vel expreſſo vel tacito roborata id præſtat, ut nec facile fiat corporis diſſolutio, nec facta præſumatur, niſi de tali actu evidentia argumenta doceant. Quorſum enim faceret in unum corpus colligare Regiones, ſi pro lubitu quovis tempore eas diſſociare fas eſſet?

§. 62. Satis unusquisque intelligit, de qua Diviſione Regionum ſermo nobis ſit. Ea videlicet hujus eſt loci, quæ Incorporationi directo oppoſita partes Territorii ac Provinciæ tali modo diſtrahit, quali antea coiverunt, eum ſingulis ſtatum, eam conditionem largiendo, quæ prius erat corporis univerſi. Sic Territorii alicujus proprie ſic dicti vera diviſio tunc fit, quando vel univerſum diſcerpitur in partes æquales, vel una ſaltem aut altera particula cum omni Jure & Superioritate è corpore eximitur. Aliæ vero diviſiones, quibus plures partes pluribus vel ita tribuuntur, ut uſufructu perpetuo & patrimoniali in illis gaudeant, vel proprio regimine, non tamen ſupremo, adminiſtrandæ creduntur, Incorporationi non obſtant, ſed ſalva ipſa contingunt. Et tales quidem credi omnes favor Incorporationis & Unitatis poſtulat, etiamſi cum ampliſſimis Juribus & Regalibus diſtributi fuerint Diſtrictus, niſi verbis diſertis maximeque ſignificantibus declaratum inveniatur, Territorium non amplius habendum eſſe pro uno; vid. §. *24. ſeq.* conf. *Roſent. c. 9. n. 1. con. 56 n. 14 & 15.*

§. 63. Incorporationi proxime affinis eſt Unio plurium Territoriorum, quæ in ſe quidem diſtincta

ſunt

ſunt & manent, inter plures autem ſic dividi prohibentur, ut ſinguli ſeparatim imperent. Quo pacto aut ad primogenitum filium poſt mortem patris deferri omnis ſucceſſio ſolet, aut pluribus dominis idem Territorium ſic aſſignari, ut omnes indiviſim imperent. Sed de hac ſpecie Unionis, ut & de alia laxiori paſſim in præcedentibus actum eſt. Illud verbo monuiſſe juvat, Exemtionis, quæ in Imperio ſæpenumero contingit, notitiam cum cognitione Incorporationis optime ac utiliſſime jungi. Quanquam enim nec Exemtio ſit Incorporatio, nec Incorporatio qua talis Exemtio dici debeat; affinitate tamen maxima unam alteri nexam eſſe apparet, dum Territoria Statuum, qui ab aliis Potentioribus eximuntur, corpori majoris Regionis plerumque eo ipſo accedunt, id quod alii loco ac tempori prolixius examinandum relinquimus.

§. 64. Satis è dictis colligitur, quæ commoda & quæ incommoda ſoleant Incorporationem comitari. Lubet tamen utrumque enucleatius proponere, ſed ita ut ad evitandam prolixitatem de ſolis Territoriis ſit ſermo. Commoda igitur ex tali Incorporatione alia ad Dominum Immediatum redundant, alia ad populum ſubjectum, alia ad Imperium Romano-Germanicum. Ad Dominum ſpectat, quod facilior reddatur Adminiſtratio Regionum, ſi unum ex omnibus corpus fiat, & ad eosdem mores eademque inſtituta omnes partes ſe componant, quam ſi ſuis ſingulæ legibus utantur, & proprios magiſtratus poſtulent; Quod ſumtibus parcatur, ſi è pluribus Collegiis ſupremis, quibus in regimine diſtinctarum Regionum ſive Territoriorum o-

pus eſt, fiat unus Senatus; Quod vires augeantur, celerius conſcribatur miles in una Regione quantumvis vaſta, quam in plurimis exiguis ac tenuibus; Quodque pecunia militi alendo minori opera cogatur. Subditorum vero animi, quum uniuntur Territoria, arctius coeunt, contractisque invicem connubiis & affinitatibus commercia omnes communi conamine promovent. Imperium denique univerſum ex Incorporatione, quæ in Territoriis Statuum membrorumque ſuorum contingit, emolumentum longe maximum ſentit, dum validæ ditiones conglutinatæ vires capiunt, & externis hoſtibus facilius reſiſtunt. Sed hoc ipſum non paucis diſplicet, qui magnam Ordinum potentiam & ſingulis & toti Imperio noxiam eſſe pronunciant apud Itterum *c. VIII. n.29.* Neque ſane hi rationibus videntur deſtitui. Curandum enim dictitant in Syſtemate Civitatum æqualium, ne una viribus nimis creſcat, ac poteſtate pariter & opibus alias longe anteeat, id enim periculoſum libertati ſingulorum foret: in Syſtemate Fœderatorum inæqualium vero proſpici debere volunt, ne qui inferiores hactenus fuerunt, ſe eousque tollant, ut olim cum ſuperioribus de principatu contendere poſſint. Hæc tamen incommoda graviſſimorum virorum conſenſu illud vincit, quod externorum injuriis magis obnoxia adeoque multo infelicior eſt Reſpublica, ſi ſingula ejus membra, à quibus ſperare præſidium debet, modicæ nimium ac tenuis potentiæ ſint, quam ſi robore ſic augeantur, ut hoſtium ingruentium primos ſaltem impetus efficacius reprimere queant. Ex antiquis rerum geſtarum monumentis tot Regulorum nulla pene opera oppreſſo-

rum

rum in Anglia exemplo hæc confirmari poſſunt. Et recentioris ævi proximorumque annorum hiſtoria ſatis oſtendit, exitioſam eſſe Imperio noſtro Statuum infirmitatem, quippe quæ facit, ut membratim corpus florentiſſimum diſcerpatur.

§. 65. Veniamus ad Incommoda. Dominum Territoriorum incorporatorum votum in Comitiis, quod reſpectu ejus Regionis, quæ nunc unita eſt, obtinebat, amittere ſuperius monitum fuit. Subditi res ſuas & neceſſitates publicas aliquando remiſſius poſt factam Incorporationem curari invenient, cum rationi conſentaneum ſit, à diſtinctis Judicum collegiis facilius expediri negotia, quam ab uno ſolo. Forte etiam eveniet, ut facta duorum Terriorum unione commercia ad unum aliquem locum deferantur, & opes alterius partis eo omnes confluant. Imperium videtur damno affici, dum & vota pereunt, & collationes non raro minuuntur. Intereſt autem ejus, membris, ſuffragiis, & collationibus creſcere, uti conſtat è *R. J. An.* 1570. §. nachdem auch noch etliche &c.

§. 66. Sed hæc Incommoda tanta non ſunt, ut aut evitari nequeant, aut Incorporationem debeant impedire, à qua tot bona dimanare vidimus. Principem votum unum alterumve amittentem commoda ampliſſima ex Incorporatione nata ſolabuntur. Subditis diligentia Conſiliariorum, vel etiam pacta ante Incorporationem ineunda proſpicient. Imperio curandum eſt, ne per Incorporationem oneribus priſtinis quicquam dematur. Quod quidem facile fiet, quoties publice & per Cæſareum diploma Regiones unientur vel ſaltem unitæ confirmabuntur. Cavebitur

tur, ne Duçatui per privilegium ab oneribus exemto novæ partes accedant, niſi ſub pollicitatione ferendorum onerum, quemadmodum olim Ordinibus talem exemptionem prævenire viſum eſt, cum ea lege certa ſumma exolvenda dictaretur Burggravio Miſniæ, ut ſi quando alias provincias acquireret, ampliori ſubſidio neceſſitates Imperii levaret, *R. J. A. 1548.* §. Mit dem geſandten. 74. Iſta ſunt, quæ de argumento difficili, quanta licuit, brevitate diſſerere viſum eſt, eo potiſſimum fine, ut conſtet, nunquid probentur viris eruditis qualiacunque aſſerta, alio fortaſſis tempore labore magis exquiſito & exemplis uſuque Fori Publici corroboranda.

Deo ſit Gloria.

Errata, quæ certe numero non exiguo irrepſerunt, Benevolus Lector ipſe corriget. Illud unum notare placuit, quod diſſert. poſt. §. 7. l. 6. à fine delenda ſit vox *Romanum*, quodque §. 9. l. 9. poſt *ſubalterno* addendum *& vicario*; linea, vero 14. loco *ſubalternam* legendum *propriam.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE